ANCILLA
PHILOSOPHIÆ, SEV
EPITOME IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS,

Authore,

Jo. CASO, Oxon.

OXONIÆ,
Excudebat JOSEPHVS BARNESIVS. 1599.

Patri dum Lapidem mittis, Natoq; Lapillum,
Rectè tu geminas, quæ geminata placent.
In Nato Patris virtus contracta videtur;
Ings lapillo vis, non dubito, Lapidis.

T. S.

Summæ spei Adolescenti Joanni Egerton.

Spes Patris, et Patriæ; Patriæ magna, vnica Patris,
Spem facis huic, illi, rem tibi quando facis.
Rem facis, inquirens fructus et semina rerum:
Flora tibi hæc fructus, semina et ista Ceres;
Hæc serit, illa gerit, virgo vtrag;, et vtrag; sponsa
Grata tibi; et gratus cui socer, esto gener.

Fructuosissimæ maturitatis Seni Joanni Caso.

Causa, locus, tempus, motus, primordia, fines,
Fortuna, et fatum, quod nusquam, semper, vbiqs,
Te celebrent celebrata tibi, celeberrime Doctor.
Se Natura tibi debet; tibi debita soluat:
Tu quod Naturæ debes, serò exigat illa.

M. G. Tam felix vtriam.

CLARISSIMO ET OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTI JOANNI EGERTONO, Armigero, Chariſſimo Patris ſui filio & hæredi, fœlicitatem *perpetuam tam in hoc ſæculo quàm in futuro.*

Quandoquidem vt placet philoſophis (Digniſſime Egerton) filius imago & relatio patris eſt, illum non ſolùm paternæ vitę & poſſeſſionis, ſed etiam famę & virtutis hęredem & participem eſſe oportet. Veruntamen hodie, cùm multi tum patres tum filij in viâ & vſu virtutis penitùs ſic errent, vt morum periculoſa fiat imitatio: næ tu præ multis fortunatus es, qui patrẽ genere tam illuſtrem, vitâ tam integrũ, virtute & authoritate tam nobilem & eminentem habes, quem imiteris. Imitatio hæc tua nota eſt omnibus qui te nôrunt; nota nobis Academicis, qui in flore ætatis tuæ fructum, in herba meſsem, in primis tuis apud nos ſtudijs ſpem maximam ingenij, virtutis, & futuræ dignitatis præviderimus; Imitatio (inquam) hęc tua ſic nota omnibus, ſic nota nobis, mihi iã cauſæ eſt vt tuæ fidei virginem & filiam meam, Ancillã philoſophiæ (ſi velis) ſponſam tibi, aut alteri deſpõdẽdã (ſi placet) offerã & cõmendẽ. Vnicè te diligit; quia tu ſemper philoſophiam (illius dominã) & ſtudium ſapientiæ dilexiſti. Prętere nihil quærit; quippe quę didicit à Socrate tranſire forum, videre multa, deſiderare prętèr amorẽ virtutis & ſapiẽtię nihil. Apertiùs agã (vir illuſtris) volumẽ patri tuo nobiliſſimo, Epitomen tibi (Ancillam philoſophię vocatã) nuncupavi; Vtriuſque materia vna eſt, non aliter quàm manus eadem clauſa & extenſa; fuſiùs enim in eo, preſſiùs in hac tuâ a me tractantur principia, pręcepta & myſteria philoſophię. Extende ma-

num, ſereno vultu accipe, virgo eſt, Ancilla philoſophię eſt, tua eſt, ſatis mihi erit ſi accipias; & certè non dubito quin ſis humaniter accepturus, cùm pater quem ingenio, virtute, ſtudio & honore ſequeris, teſſeram officij & volũtatis meę magnificè acceperit. Vale; ab ędibus meis Oxon. 7. Calend Novemb. CIↃ. IↃ.XC.IX.

Dignitatis tuæ ſtudioſiſſimus.

Jo. Casvs.

AD LECTOREM BENIGNVM.

QVemadmodum infantes manu nutricum ſuffulti pedum ſuorũ vim & vſum diſcunt, quo fit vt demum ſtare & incedere ſine alterius ſubſidio poſſint: ita tyrones primis quaſi labris vbera philoſophiæ ſugentes, progreſſum ſenſim & pedetentim faciunt, donec tandem accuratè de abditis rerum cauſis philoſophentur. Verùm ne incognitâ viâ incerti errent, ſemitam directam vtcũq; delineare conatus ſum, in quâ veſtigia vrgentes ſcopum longioris itineris expeditiùs attingant & aſſequantur. Cauſa huius opuſculi.

Per hanc ſemitam (Compendium hoc intelligo) in quo veluti in vno faſciculo primulas violaſq; veris, id eſt, præcipuas Maximas & Axiômata Phyſiologiæ ſtudioſè collegi, Ariſtotelem imitatus ſum, qui in Topicis artis Dialecticę fontes & loca communia tradit. Operæpretium enim ſemper, & è re plurimùm ſeriò ſtudentium futurum duxi, vt per flumen in Oceanum ſapientiæ navigent, priuſq; legant Epitomen (in qua elementa) quàm volumen in quo arcana oracula philoſophię includuntur. Nam vt pauci aut nulli rectè natare diſcunt ſine cortice: ita qui nullâ Iſagoge aut introductione perlectâ contendunt verè philoſophari, operam & oleum perdunt. Quid præſtitit author in hoc opere.

Sed quoniam omne compendium in philoſophiâ ſine Ariſtotele diſpendium eſt; vanis & varijs iſtius ætatis opinionibus relictis, Ariſtotelem ſolùm philoſophantem proponam. Tot enim ſectæ, tot dogmata, tot paradoxa multis iam retrò ſæculis refutata, meo quidem iudicio potiùs tacenda quàm altiùs & articulatiùs repetenda ſunt. Cauſa eſt, ne adoleſcentulorum ingenia rerum novarum cupida errantium eſcas & hamos avidiùs, deſertâ veritate, devorent. Quę feneſtra ſi aperiatur ſemel in minimis, verendum eſt ne protervus & opinioſus Philoſophus hæreticus Chriſtianus fiat. Maiorum ergo Ariſtotelem ſolum ſibi ducem proponit.

providam ſapientiam, & ſapientem in hoc providentiam ſatis nunquam laudare poſſum; quòd in omni arte certa quaſi vexilla & ſigna, certos duces & authores ſequendos ſtatuerint, pœnamq; iniunxerint illis qui pertinaciter novos duces novoſq; colores affectârunt.

Varia & multiplex authorum lectio nõ improbatur.

Non hîc (quod obſervandum eſt) variam & multiplicem lectionem multorũ interpretũ in omni arte nego; hoc enim eſſet ſpoliare doctos magnis thesauris ſapientiæ. Sed illud eſt quod opto, vt omnis tollatur confuſio, nullaq; inducatur oppoſitio veritatis ſine refutatione. *Opiniones enim pugnaces proponere & non refellere, eſt teneram ingenia opprimere & veluti ſuffocare.* Vt ergo in vna eademque menſa licet de varijs generibus ciborum guſtare ſine diſpendio ſanitatis, ſi facilis ſint ſimiliſque qualitatis & concoctionis, ſin verò aliter, periculum ſtatim creant: ita in convivio Philoſophico licebit epulas doctiſſimorum apponere, modò ſe non opponant veritati; ſin autẽ opponant, à convivio & cœtu philoſophorum exulent, ne latens venenum noceat. Quid? non vis vltrò citroque inter opponentem & reſpondentem diſcuti argumenta? Hoc non nego, (eſt enim id genus diſſerendi examen optimum in diſquiſitione veritatis,) ſed ramos inutiles & putridos amputandos doceo, ne plantulas & floſculos philoſophiæ penitus inficiant. Imò etiam in ipſo examine veritatis inter opponentem & reſpondentem hanc legem in concuſſum teneri & obſervari peropto, vt nulla ſophiſmata ſine accurata confutatione proponantur. *Quippe tam propenſa & praceps eſt iuvenilis ætas ad errores & vitia, vt citiùs cum infantulis manus ad flammas, quàm ad gemmam pretioſam porrigant: magiſque oppugnantium virulentis telis, quàm clipeis propugnantium delectentur.* Ne ergo in delicijs philoſophiæ crapula, ne in conflictu & certamine philoſophorum confuſio vulneret; ſuadeo ſcriptoribus & interpretibus iſtorum temporum, vt in quavis arte nudam veritatem (quæ per ſe pulchra eſt) obtutibus iuvenum offerant, pictaſq; veſtes, & meretricios colores (hoc eſt nova phantaſmata hominum contentioſorum) penitus relinquant. Nam certè metus eſt (ſi hoc non agant) ne vt infantes pigmentis & imaginibus magis quàm rebus ipſis vtilibus capiantur: ita curioſi adoleſcentes ardentiùs melioribus tractatis deteriora ſequantur. Quare etſi equidem potuiſſem in hac Epitome, & inſequenti volumine numeroſam authorum & opinionum turbam cohortemq; inducere: (triginta enim duos interpretes legi, quorum alij hanc, alij illam ſequuntur aciem) manum tamen de tabulâ retraxi, ne indice multorum nominum ſuperbos & ambitioſus videar,

Argumẽtatio examen optimum in veritate diſquirenda.

Propenſa ad errores imbibendos iuvenilis ætas.

Nuda veritas per ſe pulchra.

Conſilium authoris de opinionum varietate infercienda.

videar, meosque lectores varietate & multitudine opinionum confundam,

At vrges fortasse acriùs, quærisque An non liceat testimonijs doctorum veritatem sepultam & latentem explicare? Quid ni liceat? Nam vt ferrum si acuatur eruginem suam deponit & splendescit: ita veritas occulta sapientum examine omni discussâ nebulâ elucescit magis. *Cæterùm vt placata motio fluctuum navem in portum vehit, tempestuosa mergit: ita certa paucorum interpretum expositio plurimùm iuvat, numerosa autem & contentiosa confundit omnia.* Verbosior & molestior forsan quam par est in hac re sum, sed longiùs telam orationis ex penso nunc traho, vt istum communem errorem animis multorum eximam, qui marginem pluribus nominibus quàm textum rationibus & argumentis onerant & inferciunt; cùm ex adverso (quod philosophorum proprium est) margines vt rasas tabulas legentibus notandas relinquerent, textum validissimis syllogismis & demonstrationibus corroborarent. Philosophorum proprium.

Sed ais, cùm philosophia nullum foris hostem, nullum externum bellum habeat, ipsa suis viribus gravida, per intestinum quasi bellum squalescet; melius est ergo vt expansis sophistarum signis provocetur in aciem, quàm otiosa, intacta, & ab omni hoste libera consenescat. Concedo omnia quæ dicis, si sophistarum solùm nomen odiosum tollas; nam aliud est philosophicè, aliud sophisticè in veritatem arguere. Philosophus enim disserendo paleas excutit, nubes dispellit, librat & purgat aurum veritatis; at sophista insidias struit, animoque malitioso in arcem veritatis & sapientiæ pugnat. Licet ergo (vt dixi) in spatijs philosophorum eminus comminusque certare, pugnare contra veritatem latentem licet: at errata & prodigiosa oppugnantium veritatem paradoxa defendere certè non licet. Nam si liceret (taceo reliqua,) si inquam liceret, quis fulminibus sophistarum palatia Veritatis non solùm in humanâ, sed in divinâ etiam philosophiâ ruinosa non videat? *Quippe effrons & effrænis licentia est, quâ detereor præcox hæc ætas facta quidvis dicere aut docere ausa est. Frena igitur in omni scientiâ ferocioribus ingenijs adhibenda sunt, certique authores & limites statuendi* Quos vltra citraque nequit consistere rectum, *vt Poëta loquitur.* Exemplum huius rei diu antehac dedissem, si magno opere in vniversam philosophiam conscripto, si proprijs facultatulis meis non deficientibus, patroni aut typographi ad id operis præstandum me animâssent.

Sophistarum nomen odiosum.

Aliud sophisticè in veritatem arguere, philosophicè aliud.

Sed nunc tandem (ſtudioſe & perbenigne lector) non poſſum id boni agere quod tum propoſueram : nuper enim morbo graviſſimo (nimirum *calculo*, quem Hippocrates non *dolorem*, ſed *cruciatum* appellat) correptus, iudicioq; medicorum morti proximus, permulta flammis mandari iuſſi, ne (me Authore mortuo) mutilata & corrupta, (vereor ne dicam ſenſu mutata) in lucem ederentur. Verumenimvero Chriſto auſpice, & nunc tyrannide morbi (qui rariſſimè aut nunquam in ſenibus curatur) mitigatâ, hos Commentarios in octo libros Phyſicorum reſervatos amicorũ rogatu tibi cõmendo. In quibus longiori ſerie & catalogo nominũ & authorum marginem non implevi, licèt permultos tum veteres tum neotericos perlegerim, quibus me plurimum debere ſcio. Mallem equidem rerum ſenſu quàm verborum ſtrepitu, rationum & argumentorũ pondere quàm nominum & teſtimoniorum multitudine ſcripta hæc mea locupletari. Quid multis? his Commentarijs hanc Iſagogen ſeu epitomen adjeci, quæ veluti ancilla candidatos ad Philoſophiam omnium ſcientiarum Dominam & Reginam ducat, doceatq; eos priùs fores bis terve pulſare, quàm temere in clauſtrum & palatium ſapientiæ irruere. Quippe qui vult eſſe ſapiens, eum elementa philoſophiæ priùs diſcere oportet quàm myſteria.

Cruciarum appellat calculi morbum Hipocrates

Epitome hæc tanquam ancilla philoſophiæ.

Si plura deſideres (ſtudioſe lector) te refero ad epiſtolam olim à me ſcriptam, & adiunctam fronti voluminis: quam equidem delendã idcirco libenter volui, quia in ea mentionem feci eorum operum quæ iam in flammas & cineres verſa ſunt. Cæterùm quoniam præter hanc mentionem laudem phyſiologiæ, ordinem, & vſum docet: eandem tibi vivere & loqui haud invitus permiſi. Si quid in ea, ſi quid in hac epitome, ſi quid in toto opere te dignũ invenias, pro me (precor) ora, qui me meaq; ſtudia à flore ętatis ad occaſum ſenectutis tibi tuæq; vtilitati ſemper devovi, & ad extremum ſpiritum devovebo. *Vale.*

CAP.

CAP. 1.

De ijs quæ ſunt conſideranda in naturali Philoſophiâ.

In naturali Philoſophiâ conſideranda ſunt eiuſdem author, nomen, ſubiectum, diviſio, ordo, & vſus.

De authore.

Author Philoſophiæ, primus fons ſapientię fuit ipſe Deus, qui mẽti humanę libros naturę aperuit; vt conſtat in Adamo, qui res omnes proprijs & diſtinctis nominibus appellavit. Sed hoc lumine extincto alia ſidera mortalibus apparuerunt: inter quos Thales, Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato & (vt vno nomine omnes complectar) Ariſtoteles primas tenuerunt. Hi quoque authores, vel auctores potiùs dici poſſunt, quoniam eorum alij fundamentum iecerunt, alijs ſtruxerunt mœnia, alij ornamenta dederunt; ſed vnus Ariſtoteles quem ſequor perfecit opus.

Deus author Philoſophiæ primus.

Genes. 2. 20.

Ariſtoteles in philoſophiâ primas tenuit.

De Ariſtotele.

Ariſtoteles nomine artifex, natione Græcus, Platonis auditor, Alexandri Magni Peripateticus præceptor, Athenarũ lumen, miraculũ ingenij, oraculum moralis & naturalis philoſophię fuit. Huic vni omnium ætatum & Scholarum conſenſus palmam præ alijs in philoſophiâ dedit. Qui ergo illum tot doctorum ſynodis prælatũ ſpernit, inſolentiæ & ignorantiæ notam incurrit.

De interpretibus Ariſtotelis.

Interpretes Ariſtoteles in Nominales & Reales rectè diſtinguas, illi Philoſophũ de imaginibus & vmbris rerum (quas intentiones & ideas nominárunt) ſcripſiſſe ſomniant, hi verò res ipſas ad vivũ definiſſe & demonſtrâſſe putant. Ex his verò alij Iohannem Scotum, alij D. Thomam, alij neutrum ſequtũur. Scotiſtæ ſubtiliori ingenio, Thomiſtæ ſagaciori iudicio ſũt, qui neutram admittunt partẽ, novitati ſtudent, & proinde exilio digni ſunt.

Interpretes nominales & reales cur dicti.

De nomine Philoſophiæ, & inſtituto.

Nomen *philoſophiæ* generale & ſpeciale eſt: generale omnes artes & partes ſapientiæ continet, vnde Philoſophus ſtudioſus ſapientiæ dicitur. Hoc nomen primùm dedit Pythagoras, qui ſapientis nomen modeſtè recuſans, admiſit nomen Philoſophi. Speciale nomẽ *philoſophiæ* ad contemplationem naturæ ſpectat, in qua Ariſtoteles cauſas, proprietates, effecta, & vſus rerum naturalium tradit.

Nomẽ philoſophiæ duplex.

De ſubiecto philoſophiæ.

Si vniverſale nomen philoſophiæ conſideres, vniverſale eſt ſubiectum, nimirum *ens commune*, quod in ens rei & rationis dividitur; ſi verò nomen ſpeciale ſpectes, ſecundùm alios *ens rei*, ſecundùm alios *corpus* ſolùm *naturale* ſubiectum dicitur. Si corpus naturale ſubiectũ eſſe defendas nimis ſtrictè, ſi *ens rei* communiter ſumptum defẽdas nimis confuſè, ſin verò *ens rei naturale & mobile*, quod proprium eſt ſubiectum nominas, Quippe non ſolùm corpus naturale conſiderat Philoſophus, ſed eiuſdem etiam vires, actus, motus, proprietates & accidentia, quę naturę vi parta ſubſtantiam corporis phyſici ſequuntur.

Ens cõmune ſubiectũ philoſophiæ vniverſalis.

Ens rei naturale & mobile proprium ſubiectum philoſophiæ ſpecialis.

De naturâ & definitione philoſophiæ

Vt nomen, ſic natura & definitio philoſophiæ cõmunis eſt aut propria. Communis definitio philoſophiæ eſt, vt ſit omniũ rerũ tã humanarũ (quę naturã) quàm diuinarũ, (quę mentẽ ſpectãt) amplißima ſcientia. Propria eſt, vt ſit ſcientia corporis naturalis per ſe mobilis, vnà cum eiuſdem principijs, accidentibus, & effectis, quæ vi naturæ inſita ſunt, vel adiuncta neceſſariò.

Definitio philoſophiæ communis & propria.

Diviſio philoſophiæ.

Nõ ſecus diviſio quã definitio philoſophię cõmunis eſt aut propria. Cõmunis diviſio philoſophię eſt (vt aiũt) in rationalẽ, realẽ, moralẽ. Rationalis exiſtit vel in ſermone, vt *Grãmatica*, vel in eius ornatu vt *Rhetorica*, vel in eiuſdẽ vſu & argumẽtatione, *vt Dialectica*. Diſtinguitur realis in Phyſicã quę proprias rerũ naturas, in Metaphyſicam quæ primas rerum cauſas, in Mathematicã quę abſtractas rerũ ideas docet. Mathematica diviſa eſt iterũ in Arithmeticã quę numerũ, in Geometriã quę figurã, in Muſicẽ quę concentũ, in Aſtrologiã quę cœli globum, motum, & aſpectum definit. Moralis deniq; philoſophia in Ethicã, Politicã, OEconomicã, & Monaſticã diviſa, de virtute, ciuitate, familiâ, & privata vitâ optima præcepta tradit. Hęc partim in cõtemplatione, partim in actione virtutis cõſtat. Diviſio propria philoſophiæ eſt huius partis quæ phyſica ſeu naturalis apellatur; hęc (in quã) eſt vel abſoluta & per ſe, vel cõparata & per accidens: illa ſolùm in principijs & cauſis corporis naturalis verſatur, hęc etiã proprietates

Diviſio philoſophię cõmunis & propria.

Cõmunis diviſio philoſophiæ quę.

Moralis philoſophia partim in contemplatione, partim in actione cõſtat.

tes & accidentia describit, nec non considerat de animâ, de intelligentijs, de Deo, alijsq; incorporeis substãtiis, quatenus ad physicum corpus aut formãdũ aut movẽdũ spectãt; vt in l. 7. & octavo Physicorũ cõstat, vbi de Deo motore cœli, & in libris de Animâ manifestũ est.

De ordine procedendi in libris Physicorum.

Duplex ordo est, naturę, & disciplinę; ille à causis ad effecta, hic ab effectis ad causas procedit. Ordinẽ naturę, non disciplinæ in libris sequitur Philosophus; nam primùm communia principia rerum naturalium describit, tum effecta & accidentia discutit, qualia sunt infinitum, vacuum, locus, tempus, & motus, quorum duo prima opinione entia habentur, tria verò postrema verissimè in rerum naturâ existunt. Ordinẽ naturæ in lib. physi. sequitur Philosophus.

De vsu naturalis philosophiæ.

Vsus naturalis philosophiæ in omnibus operibus à Deo creatis apertè cernitur; quippe eorum non solum communia principia & causas, nempe materiam, formam, efficientem & finem disquirit; sed occultas etiam potentias, actus, motiones, atque effecta luculenter demonstrat. Verùm vt philosophorum more distinguam, proximus seu proprius vsus philosophiæ est cognitio naturæ, adeoq; omnium quę natura suo vtero aut concipit aut in lucem parit: remotus verò vsus est contemplatio cognitioque Dei, qui author & motor naturæ fuit. Hæc series librorum Physicorum accuratè ostendit; nam ita de naturalibus causis & effectis in 6. primis libris agitur, vt in 7. & octavo vnus naturę motor, vnus Deus, idemq; simplex, immensus, infinitus & incommutabilis esse concludatur. Proprius philosophiæ vsus quis. Philosophiæ propria.

Summa & ordo omnium librorum quos edidit Philosophus de Natura.

Non solùm hos libros Physicorum, sed etiã & alios de naturâ scripsit Arist. quorum hæc summa & ordo est. Philosophiæ naturalis pars vna scrutatur communia principia rerum naturalium, eorumque omnium quę cum principijs necessariò cohærent; hinc traduntur libri octo Physicorum. Altera pars versatur circa corpora naturalia quę ex principijs istis oriuntur; quorum alia sunt simplicia, alia composita. De simplicibus corporibus in quatuor libris de Cœlo differit Philosophus, eorum naturam explicans quatenus moveri possint. Verùm quoniam simplicium alia perpetua sunt vt cœlestia, alia mutationi subiecta, factũ est vt libros duos de Ortu interituq; rerũ naturalium proximè attexerit; sed pergam. Compositorum corporum duo sunt genera, videlicet imperfecta quæ in libris Meteororum, perfecta, eademque sine sensu quæ in libris de Plantis, vel cum sensu quæ in libris de Historiâ animantium demonstrantur. Verùm

quoniam horum ſenſibilium partes duæ ſunt, corpus & anima (in quibus ſunt multæ & mirabiles facultates) libros de Senſu & reſſili, de Vitâ & morte, de Sõno & vigiliâ, de Animâ & eiuſdẽ divinis potentijs addidit. Hæc eſt (vt vides) aurea catena librorum quos Philoſophus de naturâ in lucem edidit: quibus ſi addas libros de Mũdo & mirabilibus mundi, admirabilem & ſempiternum Deum in operibus naturæ cernas. Nam huc tota de naturâ, de cauſis, & effectis rerũ naturalium diſputatio Ariſtotelis tendit, vt in Metaphyſicis primã cauſarum cauſam Deum eſſe intelligas.

Deus in operibus naturæ cernitur.

CAP. 2.

In quo de nomine Philoſophi, de officio, de inſtrumento, de naturâ, de eiuſdem definitione & diviſione agitur.

Philoſophi inſtitutũ quale.

QUi vult eſſe Philoſophus amare ſapientiam debet; *nomen enim Philoſophi ſapientiæ ſtudium & amorem continet.* Amor hic ſapientię deſiderium indagandæ veritatis eſt in myſterijs naturæ. Sapientia quam quærit Philoſophus eſt præcipua virtus mentis, omnium rerum, tam divinarum quam humanarum ampliſſima ſcientia; cuius obiectum proximum eſt verum, quod à rebus per abſtractionem intellectus ſumitur, remotum verò illud incõmutabile verum, quod per contemplationẽ rerum naturalium cernitur. Nomen ergo Philoſophiæ divinum eſt, quia divinum ſubiectũ, nempe mentem, divinũ obiectum, nempe veritatem, divinum ſcopum & finem, nempe Deum (qui eſt veritas æterna & increata) habet.

Obiectum duplex Philoſophiæ.

Nomẽ Philoſophiæ cur divinum.

Officium Philoſophi.

Officium naturalis Philoſophi in duobus conſiſtit, in intentione & actione. Intentio à fine, actio à principijs incipit. Finis (qui primùm intenditur à Philoſopho duplex eſt, cognitio rerum, contemplatio Dei; res naturales per cauſas, Deum per effecta novit. Si in *rebus naturalibus ſcrutandus acquieſcat Idololatra eſt nec Philoſophus: ſi per cauſas ad primam cauſam cognoſcendam volare ſtudeat, verum ſapientiæ nomen optime meretur.* Actio Philoſophi eſt immanens non tranſiens; eſt enim ſtudere veritati: quod opus mentis eſt, nõ corporis, ita tamẽ eſt opus mentis, vt in ſpacijs Philoſophorum vltrò citròque diſſerendo pateat.

Finis à philoſopho propoſitus duplex.

Actio philoſophi qualis.

De

De instrumento & eius materiâ.

In differendo Philosophus demonstrativo syllogismo tanquã proprio instrumento vtitur. Demonstratio autem duplex est, absoluta à causis quæ *à priori* comparatur, & ab effectis quæ *à posteriore* ducitur: vtraque est philosophantis telum, sed illud acutius. Demonstrationis materia veritas est; ex primis enim, necessarijs & veris cõstat demonstratio. Veritatem autem triplicem distinguunt philosophi; mensurantem quæ est *Deus*, mensuratam quæ est *res* vel *signum rei*, abstractam quæ menti humanę à rebus & signis avulsa inhæret. Notatu hoc loco dignum illud est, primam veritatem incommutabilẽ esse, quæ nec fallere nec falli potest: res verò & signa rerum in quibꝰ veritas secunda exístit certam in se legem veritatis habent: vltima autem veritas quoque certa est, si intellectus verè à rebus & signis ideas abstrahat. Cæterùm quoniam mens humana sæpe in abstrahendo errat, Sectæ tum in humanâ, tum in divinâ philosophiâ oriuntur. Malè enim intellectis medijs, (quæ sunt res & verba, sint illa verba scripta vel voce prolata) finis nõ acquiritur, id est possessio veritatis. Monendi ergo hîc sunt iuvenes studiosi philosophiæ, vt meliori iudicio maiorum acquiescant, suisq; ingenijs nimiùm non confidant.

Demonstratio duplex.

Materia demõstrationis est veritas.

Veritas triplex.

Causę cur oriãtur sectę in humanâ & divinâ philosophiâ.

De naturâ.

Multiplex est naturæ significatio, sed rectè omnes reducas ad naturam (vt aiunt) naturantem, & ad naturam naturatam. *Natura naturans prima causa, primus motor, prima essentia, mens, & intelligentia prima, ens quoq; primum, summum bonum, summumque & incommutabile verum à philosophis dicitur. Nam efficit omnia, movet omnia, dat omnibus esse, omnia regit, percipit, comprehendit, flectit ad se hominis voluntatem, intellectum instruit, illius centrum vbique est circumferentia nusquam; ab aterno est id quod est, sine loco, sine tempore, & tamen omnem locum & tempus totius & præsens implet; quicquid in eo est essentia est, quia nullum accidens in Deũ cadit.* Qui hæc & similia in Aristotele legit (sunt enim hæc illius omnia) discat velim nõ esse eũ habendum omninò Philosophum qui huius causæ cognitionem imprimis Philosopho necessariam non putet, eamque priùs animo non apprehendat quàm limina naturæ naturatę pulset aut intret. Natura naturata est illa causa physica de quâ in his libris Physicorum præcipuè agitur, & quidem est causa activa si res physicas spectes quas gignit, passiva verò si eandem ad primam causam infinitam referas.

Natura naturans Deus.

Nõ est habendus Philosophus, qui primę causæ cognitionẽ necessariã esse non putet.

Natura naturata quę & quomodo activa, quomodo passiva dicatur.

Natura quid.

Definitur natura *principium, & causa motus & quietis in re naturali, primò & per se, & non per accidens. Principium* in hac definitione naturæ constituentis præeminẽtiam, *Causa* dependentiam rei ab eo fluẽtis denotat. Quid multis? sensus hic est, *natura est principium internum motus & quietis*, hoc est insita causa vt id moueatur aut quiescat, *in quo primò & per se, non per accidens inest*. Magna volumina de hac definitione naturæ scribuntur; suadeo igitur vt centrum quæras, in quo fixus contempleris circumferentiam cœli, omniaque sub illo comprehensa, quibus naturam naturantem præsidere, naturam hic definitam inhærere facilè intelliges. Illius majestatem nemo nisi Theophilus, huius potentiã nemo nisi Philosophus studiosus sapientiæ percipit, miracula in illâ, in hac mysteria multa insunt. Agit vtraq; sed diverso modo, nam illa creat sine modo, hæc medio in omni opere & effectu vtitur.

Naturæ definitio explicata.

Natura naturans præsidet, naturata inhæret.

Divisio naturæ.

Natura iam definita vt analogon genus in materiam & formam dividitur; est enim materia natura, est quoque forma natura, sed ita vtraq; natura dicitur, vt natura causa movens vtriusq; dicatur. Causam moventem dico, non cõstituentẽ; principiorũ enim non est cõstitutio sed subordinatio, vt Philosophi docent. Quippe fieri potest ut causę causis, principia principijs ordine ad se invicem subjiciãtur, donec ad primam causam causarum venias. Animadvertendum hoc loco id quoque velim, naturam hîc diuisam materiâ & formâ cõmunius principium esse, & aliquid amplius diviniusque in se continere. Nã vt omnis materia natura est, sed omnis natura non est materia; similiter omnis forma natura est, at omnis natura non est forma; natura enim ad omnia effecta vtriusque se extendit, nec non ad accidentia quæ naturaliter illis inhærent. Quippe cùm aliquid grave aut leve sursum volet, idipsum naturâ sursum aut deorsum volasse dicimus, licèt graue & leve (quæ sunt accidentia) talis motionis solæ causæ existant. Quòd sit aliquid divinius in naturâ quàm in materia & formâ hinc constat, quia est quiddã vicinius primæ causæ, & quia in motu, actione, & opere suo finem respicit. Materia autem res futilis, vix ens, & ferè nihil à Philosopho nominatur. Forma res est divina, sed ita divina vt à naturæ sinu & fõte diviniore susceptа fluat; solam formam humanam excipio, quam non ingenitam sed infusam doceo.

Natura causa movens materię & formę.

Natura communius principium formâ vel materiâ.

Materia res futilis & ferè nihil.

CAP.

De genere argumentandi quo vti debent philosophi.

Grave, subtile, & accuratũ disputandi genus est quo philosophi vti solent: quippe res quas tractant philosophi arcana naturæ sunt, quæ & verum sapientem, & magnum ingenium postulant. Operæpretiũ ergo & in primis vtile putavi, si in singulis sectionibus & articulis huius libelli Maximæ seu Axiômata (quæ sunt veluti ossa & nervi philosophiæ) opportunè suis locis adiyciantur. Attextam ergo præcipuas propositiones cuilibet materiæ quæ occurrit, vt laudabilius certamen iuvenũ, causâ & modo certandi cognitis fiat. Cæterùm (vt in hoc certamine Aristotelem sequar) sicut ille in Topicis, ita ego equidem in Physicis quatuor prædicata & eorum annexa tradam, à quibus omnia problemata & loca communia eruantur. Prædicata sunt materia, forma, potentia, & actus, quorum illa interna ad essẽtiam, hæc externa ad existentiam rerum naturalium pertinent. Prædicata physica hęc quidem rectè nominari possunt, tum quoniam de omnibus in rerum naturâ enunciantur, tum quoniam singula in physiologiâ tractata ad ipsa reducuntur. Sunt enim omnia quæ sunt aut materialia, aut formalia, in potentiâ, vel actu posita. Potentia autem est vel materiæ quæ passiva, vel formæ quę activa dicicitur. Actus quoque est duplex, vel inchoatus vt motus, qui instrumentum primum naturæ existens *actus mobilis* definitur: vel perfectus, vt forma & finis quæ existentiam absolvunt. Annexa his prædicatis sunt motus, quies, mobile, locus, & tempus, omniaque accidentia quæ necessariò cum rebus naturalibus cohærent vt primæ qualitates, vel quæ videntur cohærere, vt fortuna, casus, fatum, infinitum, & vacuum, de quibus in his libris Physicorum, vt de rebus quæ apparent & non sũt. Arist. luculẽter disserit. Cæterũ quoniam hæc omnia prædicata & annexa ab vno deducta sunt fonte (nempe naturâ) axiomata à communi loco naturæ primùm tractabo, & sic deinceps de reliquis ordine discutiam, vt res quę discutientur postulant.

Materia philosophorũ arcana naturæ.

Quatuor prędicata physica, materia, forma potentia, & actus.

Potẽtia duplex.

Actus duplex. Motus primũ instrumẽtum naturę existit.

Entia quę apparent & non sũt, fortuna, casus, fatũ infinitum & vacuũ dicuntur.

De locis & axiomatibus à communi notione naturæ ductis.

Primus locus est *A notione naturæ*, cuius maxima talis existit. *Quò quidque est simplicius aut universalius eò magis natura notum est quam nobis*, si distinctam cognitionem spectes. Ratio est, quia natura effectivè est vniversalis causa, quæ in omnibus æternitati studet. Sit hoc exemplum, notior est naturæ homo quàm illius individuum

1. Locus. Max. 1. loci. Natura in omnib⁹ æternitati studet.

dividuum Socrates aut Plato; natura enim primùm intendit hominem, tum Socratem aut Platonem gignit. At dices hoc est contrariũ Aristoteli, qui vniversalia notiora nobis esse affirmat. Respondeo notiora esse quidem nobis confusè, non distinctè; intellectus enim humanus singulare sub ratione vniversalis primũ & vi suâ confusè percipit, vt in Socrate longiore spacio à nobis remoto manifestè cõstat, qui primùm sub ratione substantię, tum sub ratione animalis aut medij alicujus generis, hinc sub ratione hominis, postremò autem sub ratione singularis cognoscitur.

Locus secundus.

Secundus locus.

A negatione naturæ. *Quicunque naturam negant vel etiam dubitant An sit? sensu & ratione carent*; causa est quia in re qualibet eandem quasi viventem & spirantem videant. Exempla tot sunt quot sunt entia naturalia, quibus omnibus vt moveantur aut quiescant sola natura dedit.

Locus tertius.

Locus tertius.

A definitione naturæ. *Quæcunque in se primò & vi suâ principium sui motus & quietis habent, ea iure naturalia dicuntur*; ratio est, quia natura ipsa est internum principium motus à materiâ, & quietis in formâ; exempla sunt cuncta naturæ opera.

Locus quartus.

Locus quartus. Maxima quarti loci.

A differentiâ naturæ & artis, reique naturalis & artificiosæ. Natura interna, ars externa causa motus in suis effectis dicitur. Vnde rectè infertur hæc maxima, *Quicquid est naturale, illud etiam primo & per se movetur*, vt Sol in orbe; *quicquid verò est artificiale id ipsum movetur sanè per accidens*, vt horologium, quod in orbem cietur ratione artis & artificis. Hinc refellitur quorundam magicorum vanitas & blasphemia, qui tabulas aureas, & amuleta charecteribus nescio quibus sub hâc vel illâ constellatione figurata vulgò divendunt, asserentes habere illa quidem multas & miras virtutes motrices syderum. Sed hic discat iuvenis ex philosophiâ, virtutem cœli fragmentis auri vel argenti non inhærere: forma enim artificialis nec per se movet, nec movetur. Contingit tamen non semel, vt (permittente Deo) incredibilia sic per dæmones malignos fiant, ac si per incantamenta & amuleta istiusmodi varijs charecteribus cœli figurata fierent; hoc verò non agit Deus vt hominem deciperet, sed fieri inquam permittit, quia homo relicto Deo superstitiosè suæ phantasiæ & fallacibus vmbris credit. Similis est ratio multorum quæ apparent in somnijs, vt de evulso dente, de eruto oculo, de effuso sale in mensa & alijs

Magicorum vanitas et blasphemia damnatur.

Forma artificialis nec per se movet, nec movetur.

sex-

sexentis (vt aiunt) valdè ominosis, quæ quidem sic visa aut contingentia cõcomitantur quidem mala nonnunquam eventa; verum tamen non quia apparuerunt aut contigerunt, sed quoniam dæmones nos nimis credulos, hac arreptâ occasione, sæpissimè decipiunt. Eventa omi. nosa qui cont tingant.

Locus quintus.

A certa proprietate naturæ. *Quicquid agit natura, id ipsum propter finẽ agit & non fallitur*; ratio est quia natura in se provida existit, primæque causæ nutum in omni opere & actione sequitur. Vetus illud est, *Deum & naturam frustra nihil agere; Deus enim prima causa Metaphysica est, natura prima causa Physica. Illa errare non potest quia est infinita, hæc falli non potest quia imperio alterius subiecta est.* Si hîc quæras quomodo natura sagax & provida dicatur, cùm non sit rationis & consilij compos; respondeo acceptam suam prudentiam primæ causæ referre, quæ omnibus instinctum divinum (qui naturalis ratio dicitur) ad bonum commune & sui conservationem inseruit. Turtur adulter non est, ciconia parentibus non ingrata, aranea nectit telam, formica acervum colligit, hirundo nidum, herba sentiens declinat hostem, presente homicidâ interfectus effundit sanguinem. Quæ omnium istorum causa? certè præter naturam nihil, quæ instinctu divinitus accepto non aliter effectus, quàm gallina pullos sub alis providentiæ fovet. At monstrum fit: ergo natura (vt ais) falsitur; hic error particularis naturę, non vniversalis (de qua nunc agimus) habetur. Loco quintus. Natura primę causæ nutum sequitur in omni actione Li. 1. de Cœl. text. 32. lib. 2. de Cœlo text. 50. Instinctus divinus naturalis ratio dicitur. Monstrum error particularis naturæ nõ vniversalis.

Locus sextus.

A consequentibus naturam; huius loci multa sunt axiômata. Primùm *quòd Omnis actio naturæ sit necessaria*; est enim fatalis in omni actione naturali causarum cum effectis vnio. Alterum est *quòd natura sit nunquam otiosa*; natura enim causa activa est & perpetua. Tertium, *quod in omni opere et actione naturæ oporteat aliquid de novo fieri*; ratio est quoniã quicquid incipit natura, idipsum perficit. Quartum, *quòd naturæ lex, ordo, & intentio sint res certæ*; rationem reddunt philosophi, quoniam à primâ causâ pendent, quæ impediri non potest. Quintum, *quòd nõ solùm essentia & existentia rerum sint opera naturæ, sed etiam eorum proprietates & accidentia*: causa in promptu est, quia non solũ esse, sed bene esse (quod in accidentibus cernitur) ab ipsâ naturâ manet. Sextum, *quòd ars imitetur naturam*; est tamen in multis natura certior arte. Septimum, *quòd fortuna & casus in actionibus effectisque* Locus sextus. Phy. lib. 2. text. 75. 1 2 3 4 Phys. 8. tex. 15. Rhetor. lib. 1. cap. 10. Naturæ leges certæ. 5 6 7

Fortuna & casus à naturæ effectis exulant.

8

9

Natura ab infinito, vacuo & non ente abhorret.

naturâ nullum locum teneant; quæ enim fortunâ & casu fiunt temerè & ignoranter fiunt, at naturæ opera sunt necessaria & ad certum finem destinata. Octavum, *quòd natura à violento, vacuo, & non ente abhorreat*; hæc enim naturam tollunt. Postremum, *quòd scientia naturæ sit omnium nobilissima*; quia nihil nobilius, divinius nihil naturâ est, in qua numen latet.

Vides (docte & studiose lector) quomodo in quibusdam locis naturæ, Dialecticorum more nomen *maximam*, rationem *maximæ*, & exemplum dederim; vides etiam quomodo brevitati studens loca decem postrema veluti in vnum contraxerim.

Articulatiùs in prioribus locis egi, vt discas illas quatuor partes ad omnem locum necessarias esse. Cæterùm compendium nunc scribo, in quo non licet distinctè & membratim singula enumerare, satis est in reliquis dato hoc exemplo, si axiômata solùm adiiciam, rationes & exempla tibi investiganda & addenda relinquam. Hoc vnum velim semper memineris, me ideò intrivisse hæc loca communia rerum, vt non solùm præcepta philosophiæ, & naturæ arcana intelligas, sed etiam ex ijsdem præceptis & arcanis artem & formam rectè disserendi ad vnguem (vt aiunt) teneas. Sunt enim loca inventionis singulis partibus philosophię accommodata, sparsa, & fusa apud Aristotelem, vt in 3. lib. Top. liquidò constat, vbi loca ferè omnia ad moralem philosophiam pertinent. Sed hic labor, hoc opus erit, hæc omnia in ordinem colligere, vsumque in singulis edocere. Conatus meus in hac parte non deerit, exemplum dabo, quo alij multò me doctiores idipsum in alijs partibus philosophiæ præstent. Quòd si præstiterint, proculdubio vtilius nihil studiosis & candidatis in philosophiâ continget; quippe hinc non solùm arma & tela philosophorum petant, sed quomodo iisdem armis & telis vtantur accuratè discant.

Locorum vsu nihil vtilius philosophiæ candidatis.

CAP.

CAP. 3.

De nomine, necessitate, numero, contrarietate, existentiâ, & lege seu proprietate principiorum.

NOmen *principij* latiùs se fundit quàm nomen *causæ*, nam privatio principium est, causa autem propriè dici non potest. Hoc nomen *principij* multiplex est; nam in Dialecticum, Physicum, Mathematicum, & Metaphysicum dividitur; qualia sunt *substantia, natura, idea*, & *prima omnium causa Deus*. Cæterùm hoc loco principium solùm physicum tractatur, quod definitur *eus rei*, vnde proximè effectus naturalis per motum naturæ oritur.

Nomen principij latius quàm nomen causæ.

Nomen principii multiplex.

Principium physicũ quid.

De necessitate principiorum.

Necessitas principiorum absoluta est non comparata, quippe sublatis principijs omnia naturę opera ruunt. Quid enim aliud sunt effecta naturæ quàm vnitæ inter se ordine naturæ causæ? vt ergo deficiunt rivuli si fontes, ita cessant omnino effecta naturæ si causas & principia tollas.

De numero principiorum.

Placuit Melisso & Parmenidi vnum statuere principium omnium, quod verum est secundùm Aristotelem si vnum Metaphysicum principium intelligas; Physica autem principia tria sunt, duo opposita, & vnum subiectum omnium. Opposita sunt forma & privatio, omnium subiectum materia prima dicitur. Numerus iste principiorum hinc constat, quia vt res quælibet naturalis de novo fiat requiruntur duo, constitutio & transmutatio. Ad constitutionem etiam duo spectant, potentia & actus; per potentiam materia, per actum forma intelligitur. Est enim materia tota in potentiâ, forma verò est internus rei actus & vltima perfectio; hinc illud, Materia appetit formam vt fœmina virum. Transmutationis principium vnum est nempe priuatio, quæ ideo habetur necessaria, vt novarum formarum continuâ successione natura æterna fiat. Quid multis? Sufficiunt hæc tria principia, pauciora non sufficiunt. Qui ergo plura aut pauciora fingunt, nodos (vt aiunt) in scirpo quærunt. At dices, natura est principium à materiâ & formâ distinctum.

Vnum principium quod verè dicatur, secundùm Aristotelem.

Physica principia tria.

Materia tota in potentia.

Forma internus rei actus & perfectio.

Natura est principiū distinctum à materia & forma ratione & modo tantum.

ctum vt ipse doces: ergo sunt plura principia quàm tria. Respondeo naturam esse principium ratione & modo distinctum ab vtroque, non re simpliciter & absolutè, quia in vtrasque vt genus in suas species dividitur.

Probatur principia esse contraria.

Principia cur contraria.

Non ex concordiâ principiorum vt Empedocli, sed ex discordiâ (vt Aristoteli placuit) res crescunt naturales. Est enim inter principia vnum contrarium alteri, ne natura sit otiosa. Quippe contrarium est veluti aculeus quo excitatur segnis materia ad appetendam formam. Est (inquam) negatio præexistentis formæ, & causa *sine qua non* perpetuæ varietatis & successionis, quibus natura maximè delectatur. In principijs secundi ordinis, nempe in quatuor elemētis hoc ipsum apertissimè constat. Contrarietas enim elementorum est causa cur agant, eorum actio est causa mixtionis, eorū mixtio est misscibilium & alteratorum vnio, ex horum vnione varia & infinita corpora enascuntur. Genus contrarietatis in principijs privativum est, nimirum inter privationem & formā; hæc privatio est tanquam tinea in veste naturæ, vestis & ornatus naturæ forma est, *quam semper terit & consumit privatio*; sic tamē cōsumit, vt ex eadem radice flos novus, ex eadem potentiâ materiæ nova forma germinet, crescat, oriatur. Hinc gravida natura successione *rerum fœcundior facta est. novarum formarum vicissitudine mater omnium quæ sunt in rerum naturâ dicitur.*

Contrarietas in principiis privativa.

Duo principia rei genitę, tria generationis.

Non multus ero, duo sunt principia rei genitę quę essentiā spectāt, *materia* scilicet & *forma*, tria verò generationis *materia, forma, & privatio*. Priora duo amica sunt, & naturali quasi cōnubio copulata: posteriora privativè opposita sunt, & sibi invicem semper infesta.

De essentiâ & existentiâ principiorum.

Principia cur nō definiātur.

Cùm nō sint entia priora primis, principia prima definiri non possunt: essentiam ergo definitam in se non habent ipsa, sed causæ essēdi in alijs existunt. Cæterùm quandoquidem duplex sit definitio demonstratioque rerum, vna à priore, à posteriore altera: licèt principia à priori nec definiri nec demonstrari possint, à posteriore tamē sciri quidem & explicari possunt. Vt ergo effecta per causas ordine naturæ: ita ordine disciplinę causas per effecta investigare solemus.

Summa omnium hæc est; principia rerum naturalium entia sunt prima, quę in se solam confusam essentiam & existentiam, in effectis defini.

finitam & certam vtramq; habent.

De legibus principiorum.

Leges principiorum tres ſunt, vna *vt aliunde non oriantur*, altera *vt ſe invicem non conſtituant*, tertia *vt omnia naturæ opera ab illis originem ſuæ eſſentiæ & exiſtentiæ trahant*. Aliunde oriri non poſſunt quia ſunt prima, ſe mutuò non conſtituunt quia ſunt contraria, ex illis alia ſuum eſſe trahunt quia ſunt principia. Tres principiorum leges.

Axiômata communia à loco principiorum.

Axiômata huius loci partim perſonam, partim materiam ſubiectam reſpiciunt. Quæ reſpiciunt perſonam hæc ſunt. *Contra negantem principia non eſt vlteriùs diſputandum. Oportet diſcentem principijs credere. Non eſt quærenda principiorũ ratio.* Principia hoc loco intelligenda ſunt & rerum & artium. Principia ſimplicia rerum ſunt *materia, forma, priuatio*; Principia artium complexa ſunt, *prima* videlicet *axiômata, et vniverſalia enunciata*, in quibus artium demonſtrationes fundatæ ſunt. vt *Ab æqualibus demptis æqualibus relinquuntur æqualia. Cœlum inferiora motu, lumine, & influentiâ regit.* Si quis hæc principia neget, aut ignarus, aut impudens haberi debet, qui tot ætatum & doctorum hominum ſynodum & conſenſum ſpernat. Qui nõ credit principijs, intelligentiâ (quæ eſt habitus credendi principijs) caret. Principia rerum ſimplicium artium complexa cuiuſmodi.

Notatu hoc loco dignum eſt, quòd inter quinque virtutes mentis omnes præter vnam cum ratione & conſilio coniunctæ ſunt, nimirũ *ars, ſcientia, prudentia, & ſapientia*: vna verò illa (*intelligentia ſcilicet*) rectè *fides Philoſophorum* dicitur, quia eſt *habitus credendi principijs ſine ratione*. Animadverterunt quidam ſapientes viri prima in qualibet arte principia nec definiri nec demonſtrari omnino poſſe: cùm ergo ratione eadem probare non potuerant, legem hanc ſanxerunt, vt *accedentes ad ſcientiam principijs à maioribus traditis & ſuſceptis* (curioſè de illis querentes nihil) *crederent*, Crederent (inquam) quia principiorum (vt dixi) non eſt quærenda ratio, nimirum An ſint? Cur ſint? quomodo ſint? ſatis eſt ſi credas eſſe, & omnia ex illis in qualibet arte dependere. Vna tantum ex virtutibus mentis cum ratione & cõſilio cõiuncta. Intelligentia philoſophorum fides.

Reſtat vt de axiômatis materię ſubiectę pauca adijciam. Axiômata principiorum quæ rem ſubiectam ſpectant ſunt iſta. *Prima principia rerum aut artium non ſunt, ſi illis probentur antiquiora.* Hæc maxima intelligenda eſt in eodem genere principiorum; nam in alio genere primis principijs naturalis philoſophiæ probari poteſt prius Metaphyſicum, nempe *Deus*, qui naturam & principia vt inſtrumenta regit. Alterum axiôma eſt à duratione principiorum, nempe Axiômata ſubiectum reſpicientia.

Perpetua & vniuersalia principia quomodo dicantur.

Quòd non sint principia si non sint perpetua & vniuersalia; *perpetua* antiquitate naturæ, *vniuersalia* effectivè, quia nunquam desinunt operari. Tertium axiôma est, quòd *actu positis principijs necessariò sequantur effectus, potentiâ autem positis non item.* Ab effectis ad principia similis est argumentatio; nam positis effectis necessariò ponûtur principia; quippe vt actu non sunt principia nisi in effectis: ita effecta non sunt omnino, si non sint principia ex quibus sint & coalescant. Postremum est, quòd *principia naturæ suâ vi coire desiderẽt, vt producantur effecta*; est enim in primis principiis apetitus producendi effectus, vt est in plantis producendi fructus. Hic appetitus *activa potentia* dicitur, qua principia ad actum & locum pertrahuntur. Huc addi possunt aliæ maximæ de principiis quoad personam; nempe *Temerariâ cuiusquam de principijs assertione moveri philosophum non debere. Non admittendum esse absurdum de principijs*, quoniam vno de illis dato sequentur mille. *Negare velle illum ab effectis ducta argumenta qui audet negare principia.* Sed hæc (inquam) quoniam ad priora facilè reduci possunt lubens omitto. Hactenus de locis principiorum in genere; nunc de singulis in specie agam, & primùm de materiâ.

Appetitus in principiis activa potentia est.

1

Axiômata personam spectantia.

2

3

4

CAP. 4.

In quo de Materia prima, de Formâ de Privatione, & de locis inventionis ab ijsdem?

Materia primum & commune subiectum omniũ.

De cuiusmodi materiâ hic agatur.

ENS omnium remotissimum à primâ causâ est prima materia; vt ergo illa est ens actu nobilissimum: ita hæc entis nomen in potẽtiâ vix quidem meretur. Hinc à philosophis nunc chaos, nunc indigesta moles, nunc entis vmbra, nunc abyssus rerum, nũc ferè non ens, aut penè nihil appellatur. Cæterùm si verè in suâ ipsius propriâ naturâ consideretur, quamvis exile admodum in se esse habeat: ens tamen est, ideinque primum & commune subiectum omnium. Subiectum dico, & tamen pincipium primum in potentia positum, ex quo omnia constituuntur primò, & in quod vltimò resolvuntur.

Non opus est hoc loco distinguere nomen *materiæ* in materiã *circa quam* (vt aiunt) *ex qua*, & *in qua*; præsertim cùm de eâ potissimum

materia

materia hîc manifestè agatur *ex qua* res naturales oriantur; hęc verò materia prima est, non secunda, cõfusa non distincta, inanis & vacua omnis formę, nõ signata vt loquũtur. Postremò hęc materia non est nota nisi philosophis; neq; hisce omnibus, quia est veluti rasa tabula in qua nihil depictũ, aut massa ceræ in qua nihil impressum, aut nuda potẽtia in qua nihil actu distinctũ videas. Cũ enim aliquid actu existat, diutiùs non prima sed secunda & signata materia dicitur. Signata materia quando dicitur.

De locis inventionis à materiâ prima.

Primus locus est à discriptione materiæ primæ. Axiôma est, quòd *omnis rerum omnium naturalium generatio sit à materia prima, omnisq; earum vltima resolutio in eã.* Ratio est, quia ex nihilo & nõ ente nihil fit; cuius rationis sẽsus est, *nihil ex nihilo fieri naturaliter sub via generationis* at metaphysicè fieri nõ negat Philosophꝰ sub via creationis; nã aliter Deũ liberrimũ & infinitũ agẽs nullis mediis naturę alligatũ, tã sæpe & apertè nũquã pronunciasset. Licèt ergo expresso nomine *creationis* (quę est *sine subiecta materia rerum productio*) non vtatur: quid tamẽ per hæc verba intellexerit, quid per accessionem animæ humanæ, (quam divinitus datam, non naturaliter ingenitam affirmat) nescio equidem, nisi altius & divinius quiddam in actionibus Dei quã naturæ cõsiderari debere insinuaverit. At discrimen non est, si Deus & natura nihil sine medio & subiecta materia agerẽt. Imo ex parte, & non absolutè (vt ait) Deus esset infinitus, simplex, immensus, liber, si non aliter quàm natura mediis astrictus ageret. Locus primus. Nihil ex nihilo fieri quomodo intelligendum. Creatio quid. Creatio imprimis licet non expresse ab Aristotele tenetur.

Interpretatio sequentis loci ab æternitate materiæ primæ similis huic est. Maximæ istius loci duæ sunt, vna quòd *materia sit æterna*; altera *quod sit ingenita & incorrupta*. *Æterna*, quia nullam causam præexistentem ordine habuit: *ingenita & incorrupta*, quia est æterna, & quia nulla causa oppositа est quæ corrumperet. Sed adverte *æternum* hoc loco sumi secundùm quid, vt aiunt, & comparatè. Nam simpliciter & absolutè nihil est æternum secundùm Aristotelem preter *Deum*; principia verò physica dicuntur *æterna* respectivè, quia nec vi naturæ inceperunt, nec desinent quam diu mundus perfectissimum opus naturæ permanet. Locus 2. Materia æterna ingenita & incorruptacur. Æternũ bifariam sumitur. Deus solus absolutè æternus.

Tertius locus est à potentia materiæ, cuius maxima est talis, quòd *materia formam naturaliter appetat*; ratio est, quoniam à forma materia perficitur. Hic appetitus est desiderii & complacentiæ vt aiunt non rationis. Instinctu enim fertur materia ad formam, non consilio aut electione ducitur; quippe materia prima est æqualiter omniũ formarum capax. Locus 3. Appetitus materiæ qualis.

Hinc sequitur 4. locus materię, à ratione seu proportione quã habet Locus 4.

cum ſubiecto, cuius maxima eſt, quod *materia prima ſit primum ſubiectum omnium*. Hæc propoſitio intelligenda eſt *potentiâ non actu*; quia materia eſt apta ad omnes formas tum internas, tum externas capeſſendas, actu verò omnes non capit.

5

E potentiâ materiæ educũtur formæ naturales quotidiè.

Alius locus eſt à potentiâ materiæ primæ, huius axioma eſt, quòd *E potentiâ materiæ educuntur omnes formæ naturales*. Hoc autem non fit ratione materiæ quæ eſt paſſiva, ſed ratione naturæ in ea operoſæ, quæ illius potentiam vivificam, & (vt ita loquar) activam & ſeminalem facit. Sicut ergo deliteſcit flos & fructus in vitali radice plãtæ: ita formæ naturales in materiâ primâ, à cuius potentiâ (vi naturæ ad appetendum excitatâ) fluunt.

6

Materiæ cognitio analogica tantum.

Poſtremus locus eſt à modo & ordine cognoſcẽdi materiã; maxima eſt, *quod materia prima per ſe & vi ſua ſit incognita*; ratio eſt, quia nulla illius imago aut idea ſeſũ ferit, vnde intellectus directè obiectum fiat. Cæterùm analogica eſt illius notio, vt ſuperiùs in exemplis de raſa tabula, cerâ, & nudâ potentiâ cõſtat. Sexcenta ſũt alia, quibus brevitatis cauſâ nunc ſupereſedo.

De Forma, & locis inventionis ab ea.

Forma nomẽ & eſſe rebus attribuit.

Res perceptu difficillima.

Quî forma naturalis à potẽtiâ materiæ emanet.

Res nulla occultior, aut myſterium magis abditum reconditumque eſt in vniverſa philoſophia, (meâ opinione) quàm forma, eiuſdemq; à potentiâ materiæ realis emanatio. Certârunt inter ſe philoſophi diu, adhuc tamẽ (lite ſub iudice quaſi pẽdente) nihil certi definierũt. Certum eſt formã primum principium eſſe, quod nomen & *eſſe* rebus attribuit; ſed quomodo emanet, emineatq; ex traduce & potentiâ materiæ res tam difficilis cognitu eſt, vt (ſi creationem non agnoſcas) vix certi ex philoſophorum oraculis quicquã definias. Nam ſi dicas materiam eandem parturire formam, incurris ſtatim in hoc incommodũ, vt fatearis materiam principiũ activum eſſe, & cauſi formæ, & Philoſophus negat. Si verò affirmes ex potẽtiâ materiæ educi, maius abſurdum videtur ſequi; primũ quia incertũ eſt an vlla ſit potentia materiæ, quoniam (vt ait Philoſophus) impotentia materiã, potentia formam ſequitur; tum an hęc potẽtia ſit omninò activa, cùm materia ipſa ens ſolùm paſſivum dicatur. Hinc ſi ſit potentia activa, quomodo forma (qui eſt actus) ab illa oriatur? Sed omitto verba & id ipſum quod antea docui nũc iterum affirmo, naturam ſupereminentẽ cauſam vi ſuâ effuſâ hoc opus efficere; inſerit enim in materia ſeminalem potentiam formæ, quæ primùm veluti in florem, tum in fructum funditur: hinc ipſam materiam excitat, vt inſtinctu appetat, & motu acquirat formam; ſic emanat forma ex materia, & tamen ſimul cum materia manet, non enim priùs eſt materia quàm forma, quia in ſemine & potentiâ

& potentiâ materiæ, veluti fructus in radice latet. Si definire velis formam, nihil aliud est quàm *principium physicum internum, quod dat nomen, essentiam, & perfectionem rei naturali*; nomen distinctum, essentiam completam, perfectionem integram & internam. Hinc illud, in materia confusio, in forma essentialis distinctio rerum naturalium inest. Definitio formæ.

De locis inventionis à Formâ.

Primus locus est à multiplici formæ nomine & distinctione; maxima quòd *omnis forma à philosopho considerata sit vel assistens vel inhærens.* Assistens forma nulli insidet materiæ, sed foris assidet & præest, vt *Deus, Angelus*, & *animus hominis corpore exutus.* Inhærens forma est quæ actu subiecto cuipiam inhæret, ipsumq; informat, distinguit, & denominat. Inhærens verò forma est vel essentialis, quæ novam speciem in substantia efficit; vel accidentalis, quę solam externam mutationem aut distinctionem in re subiecta facit. Exemplum essentialis formæ est anima rationis compos in homine; exemplum accidẽalis, vt figura Cæsaris in sigillo aut ære. Alter locus est à notatione formæ physicæ propriè sũptæ. Maxima est, quòd *forma physica sit principium naturæ ordine simul cum materiâ primâ*: in illa tamen latet, vt flos in semine, donec operante naturâ, non aliter actus & perfectio eiusdem reiq; compositæ fiat, quàm fructus plantæ. Vt enim fructus distinguit speciem plantæ: ita forma quæ est actus rei distinguit materiam è cuius potẽtia fluit. Tertius locus est ab existẽtia formæ; maxima est, *quòd ante formã nihil omnino præexistat in materia prima.* Hęc propositio cautè intelligenda est, nam si simpliciter dicas nihil præexistere ante formam, concedes naturam aliquid ex nihilo producere: si verò affirmes aliquid præesse aut antecedere, cõcedes materiam actu aliquo modo fuisse antequã forma accessisset. Quippe id quod præexistit, sive completũ sive incompletum sit, motum habet, qui actus mobilis definitur. Præterea, si dicas formam in materia prima inchoatam delitescere, motuq; materiæ pullulare & perfici, videris eadẽ operâ docere, substantiã magis & minùs susçipere. At dices, formę formabiles sũt nõ formatæ. Sed vnde (quęso) formę formabiles dicuntur? Certè quia sũt incõpletè in materia, vt ais. Cęterùm vlterius te vrgeo, quęroq;, vnde ista prima inchoatio & emanatio formę sit? Si sit, aut exit ex aliquo, aut ex nihilo; si ex aliquo cõcedas, nõ negabis mihi aliquid actu fuisse in prima materia ante formã; si ex nihilo fieri existimes, cur creationẽ formarũ negas? Quid restat? hoc scilicet, vt dicas nihil in materia prima præexistere ante formã præter primã potẽtiã materię, quę eadẽ est inchoatè cum materia ipsa. Est enim prima potentia

Primus locus.

Assistens forma quæ.

Inhærens forma quæ.

Inhærens forma duplex.

Locus 2.

Forma in materiâ tãquam fructus in plãta.

Locus 3.

Formę formabiles & formatæ.

Prima potentia cuiuſq; rei eadẽ cũ reipſa cuius eſt.

cuiuſque rei eadem reſcuius eſt, vt potentia ratiocinandi cum animâ rationatrice, potentia ſentiendi cum animâ ſenſibili, potentia vegetandi cum animâ vegetabili. Quid multis? nihil ergo præexiſtit in materiâ primâ ante formam: id eſt nihil actu præexiſtit quod materiam actu exiſtere in rerum naturâ faciat, nihil quod formet, nihil ꝙ diſtinguat.

Radix formę in materiâ in eſt.

Eſt tamen in materiâ radix formæ, id eſt talis potentia realiter eadem cum materiâ, quæ influente naturâ gravida tandem veluti facta formas & diſtinctiones rerum eſſentiales parit.

Locus 4.

Locus alius eſt à multiplici proprietate & officio formę. Maxima, quòd *naturalis forma ſemper officiũ ſit eſſentialiter denominare, definire, diſtinguere, & conſervare ſpeciem quam facit.*

Formę officium.

Ratio eſt, quoniam rei nomen, natura, potentia à forma pendeant. Imò forma etiam finis rei naturalis dicitur: at finis bonum illud eſt quod natura appetit, & in quo res quælibet naturalis conſervatur. Hinc alterius maximæ apud Philoſophos non eſt inepta, videlicet *natura appetit finem*, id eſt natura appetit formam, eſt enim forma interna perfectio rei, & finis ad quem natura in conſtitutione rerum tendit.

Natura appetit finẽ quid ſignificat.

Alter locus à dignitate formæ naturalis ducitur.

Locus 5.

Huius axiõma eſt, quod *Omnis forma ſit divinum quiddam.* Interpretum aliqui aſſerunt divinum dici, quia proximè à prima cauſa divina fluit. Qui hoc aſſerunt, non viderunt quomodo naturalis forma ex potentia materię vt ex traduce aut radice educatur.

Forma cur divina dicitur opiniones variæ.

Alia expoſitio eſt, quòd per aſſimulationem dicatur divinum quiddam, nempe quoniam eſt ſimplex, purus, & eſſentialis actus, vt prima cauſa. Non eſt inanis quoque illa interpretatio, formam ſcilicet divinam dici, quia eſt ſumma perfectio, ſummumque bonum phyſicum rei naturalis. Liceat tibi (erudite lector) quam velis interpretationem admittere, illa tamen mihi vehementer placet, quòd divinum quiddam forma dicatur, quia ſimplicem purioremque eſſẽtiam Deo acceptam refert.

Locus 6.

Sequitur locus ab vnitate formæ, cuius duo axiõmata ſunt, primum quod *cuiuſlibet rei naturalis ſit vna eſſentialis forma*; alterum quod *vna ſit prima forma communis omnium*. De primo axiõmate nemo philoſophorum vnquam dubitavit, quia res quælibet naturalis nõ definitur aut diſtinguitur niſi à ſua ipſius propria forma. De 2 lis eſt & controverſia magna', an ſit vna communis forma omnium, quæ principium rerum naturalium dicatur? ſi affirmes, quænã illa tandem ſit quæro? ſi neges, peto quomodo tria principia eſſe defendis? Nam ſi non ſit vna communis forma omnium, ſed ſola particularis ſingulorum, quomodo omnium principium definiatur eſſe equidem omnino neſcio? Quippe particularis cuiuſque forma non eſt prima, non eſt æterna, non eſt ingenita & incorrupta

rupta, non est omnium causa, quæ conditiones ad principium constitutionis requiruntur. Sed quid moror? Alij putant esse vnam animã mundi, quam formam rerum naturalium nominant. Alij dicunt esse formam quidem omnium principium assistentem, non inhærentem. Alij cœli formam esse hanc formam omnium pertinaciter defendũt, quia Arist. dicit omnem formam esse in cœlo; quod intelligitur respectu inferiorum effectivè, quoniam sol & homo generant hominem, per *solem* influens cœlum, per *hominem* mundum inferiorem variis formis ornatum intelligit. In hac lite audeo definire nihil, existimo tamen formam rectè vnum principiorum dici, non quòd sit vna essentialis forma omnium; sed quòd sit vna communis idea & apprehensio formæ ex singulis generum, non ex generibus singulorum vt aiunt. Quasi diceres, forma hominis primum principium hominis est, forma cœli primũ principiũ cœli est, forma ignis primũ principium ignis est; & sic de cæteris singulorum formis: ergo forma est principium omnium, quę vi naturæ fiunt. Omnium (inquam) non quòd sit in omnibus vna communis forma, sed quòd in singulis (quæ collecta vnum vniversale apprehensione faciunt) vna eademque distincta existat à qua res propriè naturalis dicatur.

Opiniones de primâ formâ.

Omnis forma est in cœlo, quomodo intelligitur.

Propria opinio de forma cõmuni.

De privatione & eiusdem locis.

Transmutationis principium priuatio dicitur, non constitutionis: nihil enim actu ponit sed tollit formam, ita tamen tollit vt materiam ad novam acquirendam perpetuò incitet & instiget. Discors hoc principium necessarium quidem est, vt legnis materia nuditatem veluti agnoscat suam, vestemq; & ornatum id est formã quærat. Multiplex est hoc nomẽ privationis, aliquãdo enim privatã materiã, aliquãdo negatã formã, aliquãdo præexistentis formæ absentiã, aliquãdo negationẽ formæ futuræ & emergentis docet. Dicit Arist. materiã & privationẽ numero & subiecto idẽ esse, & verũ est si privationẽ pro materia nudata sumas, aliter multis modis hęc ab illa differt. Nam materia est ens positivum, privatio verò ens negativum; materia est substantia, privatio non est, materia est causa constitutionis, privatio propriè causa non dicitur, materia appetit formam, privatio tollit; materia est ingenita & incorrupta, sed acquisitã formâ privatio tollitur. At dices quomodo principium est? Principium generationis non rei genitæ habetur. Generationis principium est quia ab ea omnis generatio incipit. Hinc philosophi privationem terminum *à quo* generationis appellant. Sed vlteriùs quæris, quomodo negatio (quæ apud Aristotelem non ens per se dicitur) inter

Privationis necessitas & vsus in generatione

Multiplex nomen est privationis.

Materia & priuatio numero & subiecto eadẽ quomodo intelligãtur.

Omnis generatio à privatione incipit.

Privatio non est pura negatio & contradictoria, sed mixta.

principia physica numeretur? Respondeo privationem esse quidem negationem, non tamen simplicem, negantem, & contradictoriam (vt aiunt) quæ omne ens negat, sed mixtam, quæ aliquid (vt ita loquar) entitatis habet, & aliquid realitatis ponit. Rectè ergo definitur privatio *principium transmutationis in re naturali, quod materiam nudam & inanem, in solâ potentiâ positam, ad appetitum formæ quâ vestiatur stimulat*: vel est *principium quod negat formam, movet materiam, primamque actionem naturæ* (nempe generationem) *inchoat*; at posse *negare formam, movere materiam, generationem inchoare* est aliquid in potentiâ ponere, licèt actu (vt modò dixeram) nihil in rerum naturâ ponat.

Privationis definitio.

Locus primus Privationis.

Locus 1. Distinctio privationis.

Ducitur hic locus à nomine, cujus distinctio est in privationem secundùm actum, secundùm potentiam, & secundùm vtrumque. Maximæ tres sunt. Prima quòd *A privatione secundùm actum ad habitum fiat regressio*; vt à somno ad vigiliam. Altera quòd *Privatio secundùm potentiam non neget habitum, ante præfixum et definitum tempus à naturâ*; vt catulus non dicitur cœcus ante nonum diem. Postrema, quòd *A privatione secundùm actum & potentiam nunquam fiat regressus ad habitum*; vt à morte ad vitam. Hęc postrema propositio intelligenda est secundùm ordinem naturæ: at Deus qui est liberrimum agens non alligatur medijs legibusq; naturæ.

A privatione ad habitum non fit regressus in quibus valeat.

Locus 2.

Alter locus privationis nomen ab eodem numero & subiecto trahit. Maxima est, quòd *privatio sit eadem numero & subiecto cum materiâ*, id est (si rectè intelligas) eadem numero accidente; quippe locus proximus à differentiâ privationis ostendit manifestè, non re penitus eandem esse cum illâ. Maximæ hujus loci sunt, quòd *Privatio sit ens negativum*; quòd *Non sit substantia*; quòd *Non sit causa*; quòd *Sit forma infesta & contraria*; quòd *Sit accessione formæ extincta*. At materia est ens positivuum, est substantia, est *concausa* vt aiunt, est amica formæ, cujus copulam & connubium appetit: privatio ergo non est re & naturâ penitus eadem cum materiâ, vt quidam ex textu Aristotelis colligunt. Verbo distinctionem materiæ & privationis sic concludo, quòd materia sit per se ens, sed ex accidenti in textu non ens dicitur, quatenus scilicet cum privatione sit coniuncta. Privatio autem contrà per se non ens appellatur, quia est absentia formæ; ex accidenti verò ens, quia materiæ inest antequam forma accedat; non est ergo privatio simpliciter negatio contradictoria (quæ omne ens negat) quandoquidem habilitatem quandam (vt ita loquar) coniunctam habeat, cuius vi & beneficio *esse* quodammodo

Materia & privatio eadem numero, tantùm accidẽte.

Distinctio materiæ & privationis.

modo dicatur; nempe ex accidente & per aliud. Est tamen (vt ita dicam) ingrata negatio materiæ; nam pro tanto beneficio à materia accepto *vt sit*, maleficium rependit. Quippe quàm diu materia illam quasi viperam in sinu suo retinet, *non ens* à Philosopho dicitur, cùm verò per accessionem formæ ejiciatur, *ens completum* appellatur.

Privationis ingratitudo erga materiam. Ens cõpletum & incõpletum quãdo & quo modo materia

Postremus locus est A subiecto habitus & privationis. Maxima, *Habitus & privatio versantur circa idem subiectum capax vtriusq;, ordine irregressibili, tempore à naturâ præfixo, & determinato per subiectum, materiam, & rem naturalem.* Per *habitum* formam internam & externam, per *ordinem irregressibilem* negationem eiusdem formæ quoad actum & potentiam intelligo. Locus 3.

Hęc de Principijs & eorum locis breviter (studiosorum causâ) scripsi; nunc ad reliqua eodem ordine procedã; & primũ de alijs duobus prædicatis, nẽpe *potentiâ* & *actu* pauca adijciã. Quatuor enim prędicata physica docendi causâ superiùs affinxi, scilicet *materiam, formam, potentiam, & actum*; *prædicata* hæc nominavi, quia latissimè patẽt hæc nomina in hac scientiâ, nec nõ de omni ente in eadẽ tractato enũciãtur. Omne enim ens rei est vel *materiale vel formale*, idq; vel *in potentia*, vel *actu* positum.

Materia, forma potẽtia actus prędicata physica cur dicta.

CAP. 5.

In quo de Potentiâ & Actu agitur.

Potentia *naturalis, præternaturalis, & violenta* dicitur; *naturalis* est quam perfecta actio, *præternaturalis* quam imperfecta actio, *violenta* quam actio vel passio contra naturam sequitur. Actio *perfecta* est actio formę, actio *imperfecta* est actio materiæ, actio *violenta* est actio causæ alicuius externæ, quæ vim & potentiã naturę tollit, remque subiectam ad interitum & perniciem trahit. Agitur præcipuè hoc loco de naturali potentiâ, quæ definitur *qualitas interna vel externa, qua redditur subiectum aptum ad agendum*. Qualitatem *internam* vel *externam* dico, quoniam est aliqua *prima potentia* rei quæ interna; est quoque aliqua *secunda potentia* quæ externa qualitas seu affectio dicitur. *Prima potentia* cuiusque rei (vt ante docui) eadem est cum re

Potentia triplex.

Actio triplex.

De qua potẽtia potissimũ hîc agatur.

Potẽtia naturalis duplex.

re cuius est potentia, vt *rationale* cum homine: secunda verò non est re eadem vt *risibile*: illa ad substantiam, hæc ad secundum genus qualitatis refertur. Distinguunt quidam potentiam in potentiam proximam, & in potentiam remotam quam aptitudinem appellant; priorem definiunt id esse quod facilè in actum reducitur; talis est potentia *ovi* vt fiat pullus; posteriorem aiunt id esse q̃ rarò aut nunquã reducitur ad actum, vt potentia quâ plures *soles*, *luna*, aut *Phœnices* esse possunt. Hæc postrema significatio potentiæ non est inanis & otiosa, si ad ea quæ aliter se habere queant, (tametsi nunquam se ita habeant) referatur: vt si dicas mare posse supernatando immergere & operire terram, aut aëris mediam regionem fieri posse calidam & humidã, quemadmodũ aliæ partes aëris existũt; hæc quidẽ nõ repugnant naturæ quoad *esse* vt fiant, quamuis nunquam quoad benè *esse* fiant. Quòd fieri possint hæc quoad *esse* rerum hinc constat, quoniam aqua levior est terrâ, & vi naturæ superflueret; totum etiam elementum aëris naturaliter est calidum & humidum: ergo media illius pars sic esse potest, licèt per antiperistasin contrarijs qualitatibus perpetuò imbuatur.

Potentia proxima & remota quales.

Potẽtia remota in rebus nõ inanis.

Quid vltra quæris? Potentia naturalis est veluti scintilla in silice, & delitescens quasi vita in radice naturæ; actus naturæ fit, actus rei à potentiâ statim elicitur; non potest natura segniter dormire, non potest esse otiosa, semper dextram suam porrigit & expandit, id est potentiam naturalem excitat, vt novas formas apprehendat. Occultum quidem hoc opus est naturæ, sed agricolis, qui spicas ex granis disseminatis metunt, res non est obscura, vtpote, quibus potentiam grano adhuc vivens segetem novam & fœcundam messem reddat.

Potentia naturalis tanquam scintilla in silice.

Loca à potentia rerum.

Primus locus huius capitis est A divina potentia. Axiôma sic se habet, quòd *esse & posse in Deo idem sint.* Ratio huius axiômatis est, quoniam secundùm Aristotelem nullum accidens, nulla mutatio in Deum cadit: at caderet si potẽtia & essẽtia in eo differrent. Potẽtia ergo divina nõ dicitur quia est defectio aut motus in Deo (motus enim est imperfectus actus mobilis) sed quia Deus est id quod est & aliter esse non potest; id quidem potest quod vult, & vult quod potest. Hoc quidem dico in eo sensu, quo Arist. dicit velle, posse, & esse idẽ in æternis & divinis esse: nam velle & posse in Deo nihil aliud quàm divinam, æternam, & immutabilem essentiam docent.

Locus 1. Phys. 8.

Alter locus ducitur ab invtili, cuius maxima est, quòd *frustra sit illa potentia quæ nõ reducitur ad actum.* Ratio est, quia actus potentiam naturalem

ralem perficit. Cæterùm instantias patitur hęc propositio in potentia remota: nam in proxima sola simpliciter & absolutè tenet.

Frustra ea illa potentiã quæ nunquam ad actum reducitur, quomodo intelligendum.

Alius locus elicitur Ab vsu *potentiæ*: maxima est, quòd *omnis potentia naturalis sit coniuncta causa actionis. Coniunctam causam* dico, quia *formæ* causa vna, altera *potentiæ* dicitur.

Locus 3.

Quartus locus est A differentia primæ & secundæ potentiæ, maxima est, quòd *prima potentia sit eadem re cum subiecto, secũda autem semper diversa*. Sed attende nos hìc docere eandem re esse potentiam primam ex parte, non simpliciter & absolutè.

Locus 4.

Quintus locus A proprietate est, qui tale axiôma habet, quòd *potentia nulla naturalis suscipiat contrarium, aut magis & minus*: contrarium enim agentis est, & susceptio magis & minus certamen contrariorum arguit, quod in potentia (cui nihil est contrarium vt Philosophus docet) cernitur.

Locus 5.

De actu.

Quot modis vnum oppositorum dicitur tot modis & alterum; vt ergo potentia est naturalis, præternaturalis, & violenta: ita etiam & actus. Actus naturalis est vt *respiratio*, præternaturalis vt *sternutatio*, quæ partim ex violẽta causa, partim ex naturali cõstat, violentus denique actus est, vt *convulsio corporis* quam mors repentina sequitur. Verùm cùm hoc in loco de actu naturali præcipuè agatur, eum definiunt philosophi esse *primum effectum in re qualibet naturalis potentiæ & operantis naturæ*. Cæterùm cùm hic effectus sit nunc in flore nunc in fructu, id est inchoatus & imperfectus: rectè iterum distinguũt actum in actum perfectum qui est rei completæ, & imperfectũ qui adhuc ad formã & finem tendit, qualis est motus naturalis, qui actus inchoatus & imperfectus mobilis in potentia esse definitur.

Actus naturalis definitio.

Actus naturalis duplex.

Postremò, vt nihil in cõparatione ista omittam, actus in internum & externum dividitur. Internus sæpe à Philosopho pro ipsa forma sumitur; sic anima *actus corporis organici vitam habentis in potentia* dicitur. Externus actus est vel *materialis*, vt aiunt, vel *formalis*; *materialis* vt accidens in quo fundatur actio, (exempli causâ) *virtus*: formalis vt *operatio virtutis*. Huc adde quòd sit actus proximus & remotus; proximus est qui proximè à potentia fluit, vt *motus*; remotus vt *forma*, aut *finis* quò natura tendit. Nõ hìc omittas velim, esse actum divinum, eundemque finitum & infinitum vt Arist. docet. Finitus est vt *animus*, infinitus vt *Deus*: nam vterq; à Philosopho actus dicitur. Est (inquit) animus *actus corporis*, est quoque (vt ait) Deus actus simplex & purus, vtriusque etiam operatio actus nominatur, quia & hic & ille liberrimum agens esse abillo demonstratur. Amplum & fusum

Actus internus & externus est.

Externus actus duplex.

Actus primus & remotus.

est hoc nomen actus in vsu philosophiæ; nam non solùm rerum naturalium motus, sed etiam earum formæ actionesq; dicuntur actus. Imò actio & passio à Philosopho idem motus idemq; actus dicūtur. Præterea quicquid completum est, aut quicquid ornatum existit in rerum naturâ, idipsum actu esse aut existere docemus. Error non est, si ipsam essentiam primum actum internum, existentiam vltimum actum externum naturæ esse doceamus. Est enim coniunctio seu copulatio materiæ cum formâ primum opus naturæ in quo essentia; est accidentium ornatus opus vltimum in quo existentia inest. Existere enim nihil aliud est quàm vestiri accidentibus, & in rerum naturâ individuum eminere. Latè patente hoc nomine, & vsu iam actus perspecto, nemini mirum aut absurdum videri debet, quòd inter prædicata philosophica à me enumeretur. Sunt ergo vt dixi quatuor (quoad inventionem in rebus naturalibus ductam) prædicata, nimirum *materia, forma, potentia, actus*, inter quæ hæc duo posteriora (scilicet *potentia* & *actus*) materiæ & formæ respondent; materia enim ens in *potentia*, forma ens in *actu* dicitur.

Primum & vltimum opus naturæ essentia & existentia rerum dicitur.

Existere, quid.

De locis inventionis ab Actu.

Locus 1. Insinuavi superiùs, pressiorem rationem tractandi loca me sequuturum; sed dum prima fundamenta tracto, perspicuitatis causâ eandem viam & methodum observavi, posthæc pressiùs & contractiùs agam. Primus locus in consideratione actus est A Dignitate eiusdē, maxima est, quòd *omnis actus sit melior potentiâ in re omni naturali*. In re omni naturali dico, quia *esse & posse idem sunt in Deo*, reque omni æternâ & metaphysicâ.

Locus 2. Alter locus est A consequenti; maxima, *Si sit actus rei naturalis necesse est vt res (cuius est actus) aliquo modo existat*; nam si sit in motu ad formam, imperfectè; si sit sub formâ, perfectè quidem existit.

Locus 3. Sequitur locus A negatione cōsequentis; maxima sic se habet, *potentiâ naturali positâ non semper actus necessariò sequitur*; ratio est, quia remota potentia rarò aut nunquam ad actum venit. Cæterùm ab omni propinqua potentia ad actum est necessaria consecutio, nisi error in particulari naturâ aliquando impediat; vt cùm natura vniversalis intendit hominem, particularis producit monstrum. Huc spectat illa maxima vulgaris & vsitata, quòd *ab esse ad posse sequatur ratio, sed non è contra*. Nam sequitur, est cœlum: ergo esse potest; at non sequitur, potest esse: ergo est. Verùm hîc dices, quòd à propinquâ potentiâ ad actum sequatur ratio, vt modo demonstratum fuit: verum est quoad certitudinem naturæ reique futuræ, quæ à termino *ad quem* denominationem sumit; sic embryo hominis dicitur homo, non bel-

Error particularis naturæ.

lua

lua aut planta, quia certum est hominem futurum esse.

Alia duo loca supersunt, vnus A differentiâ motus, actionis, & actus, alter à fine; Maxima prioris est, quòd *Motus, actio, & actus re omni ex parte non differant; distinctionis tamen causâ non ineptè motus mobilis, actio moventis, actus vtriusq; dicitur. Est enim motus (ait Philosophus) in mobili vt in subiecto, est actio in agente seu movente, est actus in vtroq;. In mobili*, nam motus est quidam actus; *in movente* actio quoq; motus sæpe nominatur, præsertim in 3. Physicorum, vbi actio & passio idem dicuntur motus. Dicuntur motus, ergo dicuntur actus; nam motus actus definitur. Maxima posterioris loci est, quòd *finis actus naturalis sit perfectio rei*: nam siue sit actus inchoatus, siue completus, tendit ad formam; vel est ipsa forma, quę forma est finis, quę finis est perfectio rei. Hactenus de Prædicatis; nunc de Annexis pauca dicemus. Locus 4. & 5.

CAP. 6.

De nomine causa & de eiusdem divisione generali.

Rambem bis coctam (vt aiunt) apponerem, si de materiâ & formâ (quæ inter principia discussa & definita sunt) nunc fusius agerē. Breviter ergo & cursoriè percurram singula. *Causa* nomen generale est, nam omne id dicitur causa, *cuius esse aliud vtcunq; sequitur*, vel *cuius vi elicitur effectus*. Verùm sciendum est, hæc nomina *principium*, *elementum*, & *causam* ratione inter se differre. *Principium* enim significat rem quamlibet à quâ alia res emanat, sine vllo respectu an ab eadem dependeat, vel non; *Causa* verò respectum dependendi addit; *Elementum* vtriusque intrinsecam rationem subit. Hinc *vnitas*, *punctum*, *privatio*, principia *numeri*, *lineæ*, *generationis* dicuntur, non causæ. Hinc efficiens & finis *causæ* compositi dicuntur; non *elementa*, nam ex illis non componitur. Pergam. *Causa est id cuius esse sequitur aliud*. Aliud dico, id est effectus essentialiter distinctus; nam hoc verbum *aliud* differentiam essentiæ indicat. Sed attende, hoc *aliud* seu *effectus* à causâ dependet quoad *esse*, *fieri*, & *conservari*. Quoad *esse*, quod est pars vel essentialis, vel integralis, sine qua res *esse* nequit. Sic compositum in substātia dependet in suo *esse* à Causa quid. Causę, principij & elementi differentia.

materia & forma, quæ ſunt partes eſſentiales ei, quarum altera generationi ſubijcitur quæ materialis, altera in eo de novo generatur quę pars formalis appellatur. Hinc illud quod vulgò dici ſolet, cauſa materialis eſt ex *qua*; formalis *per quam* res conſtituitur. Dependet etiam effectus à cauſâ quoad *fieri*, idq; vel *à quo*, vel *propter quod*: *A quo* effectivè res producitur, vnde cauſa efficiens emergit, quæ materiam ad quærendam & recipiendam formam præparat & diſponit: *propter q̃*, vnde cauſa finalis ſequitur, cujus deſiderio vel odio efficiens cauſa ad agendum excitatur. Hæc cauſa perficit & conſervat, quapropter ad illam etiam quoad *conſervari* res quęlibet naturalis refertur, licèt omnia quæ ſunt vnà cum cauſis à Deo primò & per ſe ſint & conſerventur.

Cauſa materialis ex qua, formalis per quam, efficiens à qua, finis propter quẽ.

Summa omnium hæc eſt: omnis cauſa eſt ex *quâ* vt materia, *per quã* vt forma, *à qua* vt efficiens, *propter quã* vt finis, quæ primum in intentione, & vltimum in executione eſt. Intenditur enim primùm, quia eſt ſcopus naturæ, vltimò vero acquiritur, quia eſt opus ad quod perficiendum motus & tempus requiruntur.

Axiômata cauſæ in genere.

Locus 1. Omnis cauſa effectus & è converſò, quo quomodo intelligendum.

Primus locus eſt A relatione; Maxima, *cauſa et effectus ſunt ſimul natura*; nam cauſa eſt effectus cauſæ, & effectus eſt cauſæ effectus. Hæc propoſitio intelligenda eſt quoad intentionem & conſecutionem nominis, non quoad conſtitutionem rei: nam hoc poſteriore modo cauſa eſt ſuo effectu prior, vt locus ſecundus A priore ductus probat.

Locus 2.

Cuius maxima alteri cõtraria eſt, nempe, quòd *omnis cauſa ſit prior ſuo effectu*; nã vetus eſt illud *Cauſam cauſato dicimus eſſe priùs*. Sed attende, quòd hæc etiã propoſitio nõ ſit ſemper interpretanda de priore naturæ ordine (efficiens enim & finis ſic ſemper nõ ſunt) ſed omnis cauſa naturâ, tẽpore, aut dignitate prior effectu dicitur. Naturâ, vt materia, forma; tẽpore, vt efficiens cauſa; dignitate & perfectione, vt finis.

Locus 3. Sublatâ cauſâ tollitur effectũ, in quibus teneat.

Alius locus eſt Ab interitu cauſæ; Maxima eſt, quòd *ſublatâ cauſâ tollatur effectus, ſed non è contra*. Indubitata eſt hæc propoſitio in cauſis internis, in externis verò inſtantias patitur; nam ſublato artifice opus eiuſdem manere poteſt.

Locus 4. Cauſę ſibi mutuò poſſunt eſſe cauſæ quomodo intelligendum.

Sequitur locus copioſus A multiplici proprietate cauſæ, in quo maxima prima eſt, quòd *eiuſdem effectus plures cauſæ eſſe poſſint*. Hæc propoſitio veritatem habet, & in cauſis per ſe, & in cauſis per accidens. Exempli gratiâ, hominis cauſæ internæ ſunt *corpus, anima*; externæ, *Sol, pater, & mater*; quæ licèt ſint inter ſe diverſa, eidem tamen generi cauſæ efficientis ſubijciũtur. Altera maxima hujus loci eſt, quòd *cauſa ſibi mutuò poſſint eſſe cauſæ*; quę propoſitio intelligẽda eſt in diver-

ſo

ſo genere cauſę, non in eodē. Si exemplū deſideres hoc accipe, ſanitas eſt cauſa finalis ambulationis, & tamen ambulatio eſt cauſa efficiens ſanitatis. Similis eſt reciprocatio etiā inter materiā & formā; dicitur enim forma cauſa materiæ quatenꝰ eidē *eſſe* attribuit, dicitur materia cauſa formæ, quatenus eidem ſubiecta eſt, eandemq; ſuſtētat. Tertia maxima eſt, quòd *idem ſui ipſius nullo modò cauſa exiſtat*; ratio eſt, quia cauſa debet eſſe prior effectu; at nihil ſeipſo prius eſſe poteſt: ergo nihil eſt ſuijpſius cauſa. Quarta maxima eſt, quòd *cōtrariorū effectuū vna eadēq́, numero poſſit eſſe cauſa*; ſic *ſol* cauſa hyemis & æſtatis per motū, ſic cauſa liquefactionis in cerâ & indurationis in luto per æſtū & calorē dicitur. Vltimū axiōma loci eſt, quòd *cauſa cauſæ ſubordinetur donec ad primā omniū cauſarum veneris*. Intelligit Philoſophus Deū ſemper benedictū, q̄ veluti Rector chori, alias omnes cauſas quaſi nervos & chordas muſicas, ad harmoniā & concentū rerū flectit. Eſt. n. tota huius mundi fabrica tāquā cythera altiſſimi; cū is primū nervū pulſet, cœlūq; moveat, ſuavior quā dici poteſt muſica in aure ſapiētis ſonat,

Materia cauſa formæ, & viciſſim forma materiæ.

Deus inter cauſas rector chori.

De diviſione cauſæ.

Incurro prolixitatis vitiū, quod in hâc epitome vitare libenter velim, ſed leges fertilior de cauſis oblata cauſa eſt cur lōgior ſim. Numerū cauſarū (vt aiunt) & ſufficientiā bis terve probavi; verbo igitur hoc loco de numero perſtringā omnia. In omni mutatione naturali cōſiderari debent *ſubiectū, terminus, actio*, & *intentio* naturæ. Subiectū *materia* eſt, terminus mutationis *forma*, actio *cauſa efficiens eſt*, *intentio finis*, quę cauſa efficiens mouet. Primùm oportet *eſſe* ſubiectū, id eſt, materialē cauſam, nam aliter in actione naturali nihil de novo fieret; quippe ſi non ſit ſubiectū in quod recipiatur forma, nihil fit. Verūtamen, quoniā hoc ſubiectū (ſcilicet *materia*) ſit per ſe nullius vivacitatis vel activitatis (vt verbo artis vtar) neceſſariò requiritur *efficiens cauſa*, quæ extrinſecus eandē ad recipiendā formam præparet & diſponat. Poſtremò quoniā nihil agit, nihil movet aut præparat niſi intentione conſequendi aliquid deſideratum, vel fugiendo infeſtū & odioſum ſibi: idcirco *finalis cauſa* additur, quæ efficientem cauſam ad præparandam materiam excitet: finalis ergo cauſa primū intentione agit, tum efficiens cauſa materiā ſegnem & otioſam movet, motā materiam forma ſequitur, formâ inductâ res naturalis perficitur: plures ergo ſpecies cauſarum quàm quatuor ad rem naturalem efficiendam non requiruntur. Sed animadvertendum eſt in hac diviſione demonſtrari ſolùm cauſas per ſe: ſunt etiam aliæ cauſæ per accidens, vt *caſus, fortuna, fatum, exemplaris cauſa*, & *cauſa ſine qua non* de quibus ſuo ordine & loco dicemus.

In mutatione naturali conſideranda ſunt quatuor.

Loca à generali divisione causæ.

Locus 1. Omnes causæ ad materialē, formalē, efficientem, & finē reduci possūt.

Maxima prima loci *à divisione causæ est*, quòd *Omnis causa sit materialis, formalis, efficiens, aut finalis*; quæ propositio vera est aut per se absolutè, aut per accidens reductivè; nam aliæ omnes causæ ad hæc quatuor capita reducuntur. Alter locus est *ab amplitudine, & quātitate causæ*; Maxima, quòd *Omnis causa sit universalis qua multis, aut particularis quæ uni destinatur*. Vniversalis est, vt *sol* in motu & in generatione

Locus 2. Omnis causa vniversalis, vel particularis est.

omnium; particularis, vt *luna* in fluxu & refluxu maris. Alius locus *à distributione causarum quoad existentiam* ducitur; nempe *quòd omnis causa existat vel actu, vel potentia; actu* vt *ædificans* qui nunc in ædificatione versatur, *potentiâ* vt *ædificator* qui intendit opus.

Locus 3.

CAP. 7.

De causis externis in specie, nempe de efficiente & finali.

Efficiētis causę vsus amplissimus apud philosophos habetur.

NE SIM molestior verbis, loca materialis & formalis causæ ante sub ratione principiorū speciatim tractata nunc lubens omitto. Superest ergo vt de efficiente & finali agam. Efficentis causæ apud philosophos amplissimus scopus & vsus est; nam ad omne genus causę pertinet; diverso enim respectu omnis causa efficiens dicatur. Propriè tamen externum principium movendi & præparandi materiā

Efficiētis causæ propriè sūptæ definitio.

in generatione & alteratione rerum naturalium definitur. Externum dico non internum; nam internum principium motus sola natura est, externum efficiens causa, quæ (vt modo docui) segnem & ignavam materiam, in potentia veluti sepultam ad formā & actū pertrahit. Dividitur efficiens causa in *veram*, & in causam *sine qua nō*:

Efficiētis causę divisio.

illa non otiosa, sed semper in effectu producendo extrinsecus aliquid agit: hæc verò nihil omninò per se agit, sed solùm res est sine qua aut omnino, aut nō commodè fiat effectus; aut id denique quo absēte impeditur agens quo minùs opus naturæ præster. Galenus lib. 3. de

Causa sine quâ non.

Differētijs symptômatum sic causam *sine qua non* definit. *Ea (inquit) qua nihil conficiunt, & non possunt separari à conferentibus, habent rationē causa qua dicitur* causa sine qua nō; *vt in curatione vulneris, causa sine qua non est remotio puris; quippe nisi pus removeatur vulnus non curatur*. Sic lu-

men

men in visione est causa sine qua color videri non potest.

Sed de hoc genere causæ non sumus solliciti, divisionem causæ verè efficientis quærimus. Causa ergo verè agens seu efficiens duplex est, vna quæ propriâ virtute aliquid operatur: altera, quæ alterius virtute vtitur; illa principalis, hæc instrumentalis dicitur. Principalis iterũ distributa est in vniversalem quæ ad omnium, (*vt Deus*) vel plurimorum (vt *cœleste corpus*) concurrit productionẽ: & in particularem, quæ paucorum aut vnius constitutionem spectat. Sed attende, eam esse inter vniversalem & particularem causam connexionem, vt particularis nihil per se sine influxu vniversalis agat, sunt enim subordinatæ. Exempli causâ cœlum nihil agit sine providentia Dei, elementa nihil agunt sine influentiâ cœli.

Efficiens causa vera duplex.

Particularis causa nihil sine influxu vniversalis operatur.

Quid moror? aliæ adhuc restant divisiones efficientis causæ; nam alia agit efficiens causa ex necessitate, vt *ignis fomite adhibito vrit*, alia agit liberè vt *homo*, quando consilio & deliberatione in agendo vtitur. Nimis ambitiosus in exemplis essem, si partitiones attexerem efficientis causæ, quas interpretes Aristotelis vberiùs insinuârunt; satis est si intelligas eam esse vel per se, vel per accidens. Per se, quæ desiderio aut odio finis mota materiam præparat & invitat ad formam; per accidens sunt omnes aliæ causæ externæ, vt causa sine *qua non*, *casus*, *fortuna*, *instrumentum*, *exemplar* aliaq; sexcenta, quæ analogicè nomen causarũ efficientiũ vendicant, quia ad motum rerũ cõferunt.

Efficiens causa quo modo liberè, quo modo necessariò agit.

De locis ab Efficiente causâ.

Primus locus est A definitione veræ efficientis causæ; Maxima, *Quicquid primò & per se præparat movetq́, extrinsecus materiam ad capessendam formam, idipsum verè efficiens causa habeatur.*

Locus 1.

Alter locus est A divisione; Maxima, quòd *Omnis efficiens causa sit vel per se vel per accidens: per se*, sic *sol* est causa *luminis*, *ignis caloris*: *per accidens*, sic causa *sine qua non* causa efficiens dicitur: quæ quidem causa per se nihil agit, confert tamen vel adiuvãdo vt *scala in ædificatione*, vel removendo impedimentum, *vt apertio fenestræ ad illustrandam domum.*

Locus 2. Vsus causæ sine quâ non.

Tertius locus A comparatione efficientis causæ cum suo effectu ducitur; Maxima, quòd *Qualis sit causa talis sit effectus in bonis et malis.* Animadverte hîc non intelligi comparationẽ solùm in bonis & malis morum: nam sic nonnunquam fallit regula, quippe pater sæpe est bonus, filius malus: sed tenet maxima in bonis & malis naturæ, cùm connexio sit causarum necessaria, quam naturalis & bonus effectus necessariò sequitur.

Locus 3.

Qualis causa talis effectus qui intelligendâ.

Alter locus est A subordinatione causarum efficientium; maxima,

Locus 4.

quòd particulares causæ essentialiter subordinatæ nihil agant sine influxu vniversalium, quibus ordine agendi subijciuntur: vt *malleus* nihil agit sine *artifice*; *elementum aut mixtum* nihil agunt sine *influentia cœli*; *cœlum* nihil sine *Deo* primo motore & causâ primâ efficiente sui.

Locus 5. Sequitur locus A distinctione causæ efficientis *sine qua non*; maxima, quòd *Causa efficiens sine qua non analogicè solùm dicatur causa, quia non agit*; hæc autem est vel *positiva*, vel *privativa* vt aiunt; *positiva*, cùm aliquid per se nihil agens extrinsecus in opere naturæ aut artis necessariò ponatur, exempli causâ *scala* vt ædificetur *tectum*; *privativa*, sic *ignorantiam* causam eorum quæ imprudens & incautus agit, sic nautæ *absentiam* causam *navis demersæ* dicimus. Dicimus (inquam) sed impropriè; nam nec ignorantia, nec absentia causę sũt; sed is qui sponte ignorans & absens vitium incurrit. Similis est ratio eorum quæ temerè facta casui & fortunæ ascribimus, quasi in istis mundi idôlis numen sacrum inesset, quod ad puppim sedens actiones humanas & voluntates pro imperio flecteret.

Causa sine qua non duplex.

Casus & fortuna mũdi idôla.

Locus 6. Locus postremus veræ causę efficientis est Ab adiunctis, quę duo sunt, *necessitas actionis*, & *libertas agentis*; hæc duo omnem causam veram efficientem continent. Maxima huius loci talis est, quòd *effectricem causam necessariò agentem & per se sequatur effectus, agentẽ verò liberè non item*. Necessitas ad actiones naturæ, libertas ad actiones humanæ voluntatis (quæ dicitur à Philosopho principium suarum actionum) refertur. Exemplum necessitatis est, vt *ortus solis* quem dies necessariò sequitur, exemplum libertatis est, vt *consilium medici, aut applicatio medicinæ*, quorum effectus *sanitas* non semper sequitur.

Quæstio. Quæstio hîc moveri solet, *An omnia bruta animantia necessitate agãt?* cum eorum multa docilia sint, & agere videãtur non sine delectu liberè. Rodolphus Agricola vir doctissimus ex Aristotelis sententiâ respondet omnia bruta necessitate agere; sequuntur enim opinionẽ iucundi aut molesti, nõ quã volũt, sed quã rebus obiectis acceptã ferunt. Necessitate ergo rapiuntur, nec possunt non trahi quò obiecta præsẽtia & vniversales causę (quibus subordinãtur) trahũt. Homo verò animantium princeps, author suarum actionum & moderator existẽs, liberè quidẽ & nõ fatali necessitate agit. Cõcedo tamẽ sequi hominẽ crebrò deteriora; potest enim in ea quę deliberãdo sæpe dãnavit præceps nũc irruere, & cõtra toto impetu fugere quæ in deliberatione expetẽda maximè iudicabat. Hęc cùm agat spõte agit, quia habet potestatẽ idipsũ agẽdi vel nõ agẽdi. Nõ est enim fatalis necessitas mẽti & volũtati humanę imposita; agnosco tamẽ esse occultas cau-

Homo animaliũ princeps & author suarũ actionũ.

sas

sas motrices volũtatis, quia voluntas est causa alijs subordinata. Agnosco etiam esse actiones aliquas invitas, vt exortà procellâ merces in pfũdũ immergere, aut amicũ furiosũ occidere, ne ipse trãsfoss⁹ pereas libertatẽ autẽ penit⁹ nõ tollo, quoniã electio agẽdi in invitis cernitur. Ethic. li. 3. c. 1.

Concludo, sunt qui alia loca deducunt A distinctione causæ efficiẽtis, quã dividũt in prępărãtẽ, perficiẽtẽ, adiuvãtẽ & cõtinẽtẽ. Scio equidẽ vsũ ex hisce locis elici posse, quia effectrix causa *præparans* dicitur vt materiam, perficiens vt formam, adiuuans vt instrumentum, continens vt finem respicit. Silentio tamen hæc prætereo, quoniam ad priora capita facilè revocentur omnia; solùm autem de continẽte seu coniuncta causa (quam veteres philosophi *concausam* appellãt) hoc addo, esse quidem in ea necessariam connexionem cum alia causa, vt producatur effectus. Continens seu coniũcta causa appellatur, quia simul agit cum altera causa rei, vt *calor hepatis* cum *febri*, vt *inflammatio sanguinis* cum *pleuritide* dici possint continentes seu coniunctæ causę tabis, in quã febri aut pleuritide laborãtes cadũt, si pręvalente naturâ aut medicinâ ad pristinam sanitatem cõrporis non redeãt & vindicentur. Hactenꝰ de efficiẽte causa, nũc de finali pari brevitate agam. Causa continens & coniũcta cur sic dicta.

De causa finali.

Prima omnium & vltima causa rei naturalis diverso habito respectu finis dici potest; prima si intentionem naturæ, vltima si perfectionem rei de novo factę consideres: primùm enim natura intẽdit finẽ, quo tamen potitur ex voto. Mirabilis quidem & occulta vis movẽdi in fine inest, illius enim quasi amore capta efficiens causa materiã ad connubium formæ trahit, neq; cessat tædas nuptiales istius veluti amoris alere, donec fine (qui est vltimus actus & perfectio rerũ) natura perfruatur; sequitur enim intẽtionẽ naturę actio efficientis causæ, actionẽ efficientis causæ perfectio rerũ cõpleta sequitur, quæ rectè finalis causa definitur esse. Omissis verbis natura, ars, homo multipliciter errant, si ad finem vt ad mensurã & centrũ suarũ actionũ & operum lineas non ducant. Est enim finis regula ad quã metienda sunt omnia: sapienter ergo dictũ id fuit *Respice finẽ*; devius siquidẽ est qui ad hanc metam vestigia non vrgeat. Sed (Deus bone!) quot sumus inter mortales qui latam viam ingressi orcũ pro cœlo capimus? Quid dicã? omnes *declinaverunt & prævaricaverunt vias suas, non est qui faciat bonũ, nõ est vsq; ad vnũ.* Ingeminas hoc verbũ, *nõ est vsq; ad vnũ*? nemo ergo vt decet respicit finẽ; nã finis & bonũ (vt docet Phũs) cõvertũtur. Prima & vltima causarum finis. Mirabilis & occulta vis movendi in fine. Finis regula qua metiẽda sunt omnia. Psal. 53. 3. & 4.

Sed quò me animus nunc rapit? Revertor, finis definitur *causa gratiâ cuius aliquid fit*; vel *id finis est quo efficiens causa movetur ad operandũ*. Dividitur finis in primarium & secundarium; primarius est qui primò Finis definitio

à naturâ intentus operationi efficientis causæ præexistit; secundarius sive (vt vulgò dici solet) *finis quò* est quod agens vltimò producere intẽdit, quo producto cessat ab omni actione ad finem destinatà: hoc modo effectus assiduè acquisitus finalis causa dicitur, sic domus est *finis quò* struentis domum, sanitas medentis aut ambulantis; nam hę actiones medẽtis aut ambulantis ad acquirẽdã sanitatem destinantur, quâ acquisitâ cessant. Hinc colligo et concludo, hunc finem propriè non esse finalem causam, sed verùs magisque propriè illius intentionem; hæc enim præexistit, & efficientem causam movet ad præparãdã materiam. Vt ergo intentio domus præexistit struenti, primò movens illum ad paranda ligna, lapides, cæmentum, aliaq; vtilia & necessaria ædificationi: ita quando natura conatur opus aliquando producere, id propriè finis illius est quod primò movet illam; at hæc intentio est quæ præexistit, non opus, quippe operis intentio ad operandũ trahit, opus verò non vt causa præexistit, sed vt effectus hanc motricẽ intentionem sequitur. Loquar tamen cum multis, & cum illis dicam sanitatem esse finem medicinæ, & architecturæ domum, similiterq; omne in omni arte opus artificis manu factum; licèt verùs loquar si intentionem istorum quæ primò ad operandum vrgent, finem esse concludam. Per *intentionem* hoc loco non ideam & vmbram vagam mentis intelligo, sed realem operis impressam imaginem, quam animus partim vi suâ, partim ex alijs rebus similibus sensu perceptis colligit; eandemque perceptã & collectã operi intenta applicat.

Finis quò potiùs intentio quàm causa.

Intentio quid significat.

Finis medius & vltimus.

Finis medius duplex.

Sed pergo, non est otiosa & inutilis illa distinctio finis, ncpe quòd alius sit medius vt *virtus*, alius vltimus vt *fœlicitas*, ille non propter se sed propter aliud, hic verò propter se expetitur. Ilius est alia distinctio, scilicet quòd sit vel directè ordinatus ad vltimum finem, vel indirectè; directè ad fœlicitatem consequendam destinatur virtus eiusdemque actio, indirectè vt divitiarum & amicorum acquisitio. Hinc veteres distinguunt finem in ordinatum, vt aiunt, & inordinatum; ille est vel vniversalis & independens ab alio, vt Deus ad quem omnia quæ sunt in rerum naturâ ordinantur; vel specialis, vt fœlicitas humana quæ ad hominem solum pertinet: inordinatus (vt ita dicam) finis meretricius & fallax est, contra ordinem naturæ & legem rationis, qualis est voluptas quã Epicurus, divitiæ quas avarus, honor quem ambitiosus, potentia quam tyrãnus vt summum bonum sitiunt, appetunt, persequuntur.

Finis naturalis duplex.

Cave (studiose lector) quò pedẽ in delectu finis dirigas; nam Argi & lynces istius mundi sæpissimè cæcutiunt & falluntur, qui voluptates, divitias, honores & imperia, neglectis veris finibus rerum adorant.

Sed

Sed ad rem; finis naturalis duplex est, vel internus vt forma (est enim vt ait Philosophꝰ) forma finis vel externus, vt operatio formę, seu opus ad q̃ res de novo cõstituta tẽdit. Exẽpli causâ, internus finis hominis est anima rationis capax (nã propter hãc intrinsecꝰ agit natura) externus verò vt beatitudo, quæ sũma animæ perfectio dicitur, & (si verè definias) ęterna fruitio dei, ad q̃ homo, si rectè Deo serviat, destinatur.

De locis à Fine.

Amplus diserẽdi cãpus A fine apud philosophos est; philosophi enim interpretes naturæ sunt, & omnia ad finem referunt. Sed vela cõtraham, & remis in hoc certamine paucis incumbam, quippe si ventis & vndis navem committerem, quamvis de fine disputẽ, vix finem & portum invenirem. Quot enim sunt obiecta totius philosophiæ tot sunt fines seu propositа à quibus loca & argumẽta inventionis petas. Philosophi omnia ad finẽ referunt.

Generatim ergo de fine, non speciatim agam: & primùm A communi notione finis. Maxima huius loci talis est, *quicquid intenditur à naturâ primò, aut pse expetitur, et cuius gratiâ aliquid sit, id finis iure habetur* ratio est, quia nihil expetitur propter se nisi perfectio rei quę est finis. Locus. 1.

Alter est A synonimis; maxima, *bonum & finis convertuntur*; ratio est quia bonum & finis non re, sed ratione solùm differunt. Tertius locus est A distinctione finis; maxima, *quòd finis medium sępe destinetur ad vltimum*; medium enim extremum arguit. Locus. 2. Locus. 3.

Quartus ducitur locus A necessariò; Maxima, *quòd maior sit necessitas finis quàm aliarum causarum*; ratio est, quoniam licèt res naturales ab omnibus causis dependeãt, ordo tamen causarum magis ad finem refertur, & quia primùm movet efficientem causam vt disponat materiam ad formam, & quia necessitas omnium causarũ in necessitatẽ finis resolvatur; omnis enim actio naturę à fine incipit quem primò intendit, & in finem desinit quem vltimò acquirit. Locus. 4. Maior necessitas finis quã aliarũ causarum.

Qui distinguunt finem in primum, vltimum & medium, locum Ab vnitate finis vltimi trahunt; cuius maxima est, quòd *vnus sit solùm vltimus finis cuiusq; rei, fines verò communes multi*. Credo equidẽ posse intelligi per vltimum finem vel primam causam (quæ est vniversalis finis, idemque vnus numero & naturâ Deus) vel internam & particularem formam cuiusq; rei, quę etiam finis internus vnus numero semper existit. Est enim vna solùm forma cuiusq; rei quæ definitur, distinguitur perficiturq; vt anima rationis compos in homine, sensibilis in belluâ, vegetabilis in planta. Addunt hîc alij in externis finibus vnum quoque esse vltimum, si per se & propter se præ alijs expetatur, vt fœlicitas humana. Locus. 5. Altera finis distinctio. Per vltimũ finẽ quid intelligendum. Locus. 6.

Alter locus est A comparatione finis; maxima, quòd *is finis sit melior*

melior in moralibus quem capto cõsilio prudens elegit, meliorq; ille in naturalibus ad quem ordine tendit natura, optimus in omnibus à quo dependent omnia; & hic Deus est, qui esse & bene esse rebus omnibus in rerum naturâ dedit.

Supersunt quædã loca Ab eligibili, cujus axiômata respiciunt vel finem ipsum, vel finis durationem, vel subiectum & ordinem quoad finem ipsum: tales sunt maximæ, nempe *Omnem finem esse magis eligendum quàm medium ad finem*. Iterũ *id medium esse magis eligendum quòd est propinquius fini*; quæ maxima est vera si medium directè ordinetur ad finem. Deinde *finem omnem si sit verus esse eligendum propter se, & anteferendum tum mediis, tum subiectis in quibus inest*. Axiômata quæ durationem finis respiciunt hæc sunt, quòd *finis sit melior quò diuturnior, quodq; sit optimus qui est æternus*. Postremò, ea axiômata quæ respiciunt subiectum & ordinem ista sunt, quòd *melior sit finis qui est in meliore subiecto; mediumq; præstantius & nobilius quod ordine nobilius subiectum sequitur*.

Alia sunt ferè infinita loca A fine, quæ per excellentiam moralem philosophiam sapiunt. Hæc (inquam) libentiùs hîc transeo, quia copiosè à Philosopho 3. Top. pertractantur. Hoc vnum tamen addo quod omittendum non puto, fieri quidem posse vt sit non solùm finis, sed omnium ferè & singularum causarum reciproca commutatio, idq; non solùm nomine & ratione, sed reipsa. Exempli causâ, anima humana est causa efficiens suarum actionum, formalis compositi, finalis prædispositæ materiæ, materialis deniq; respectu scientiarum & virtutum quæ in illa hærent. Similiter Deus est causa efficiens omnium quia movet omnia, finalis quia conservat omnia, formalis omnium (non tamen formalis vt aiunt formans, sed exemplaris) quia omnia à se creata non aliter quàm si fuissent præcognovit.

Omnium causarum reciproca est commutatio.

Hic diligenter animadverte (studiose lector) in toto ordine entium vnum duntaxat esse cuius simpliciter est nulla causa, sed hoc est causa reliquorum omnium. Theologi hoc vnum Deum vocant, Arist. quoque multis in locis Deum, ens primum, primam causam, motorem primum, vltimum hoc loco acquisitum, & tamen primum intentum finem; α & ω est, principium & finis, qui solus per se perennis materiã, tempus, mundum, omnia ordine ex nihilo creavit, operatque 6. dierum verbo miraculosè fecit; fecit (inquam) vt Creatorem tui omniumque tuâ causâ factorum in eo religiosè coleres. Philosophi viderunt ex volumine lumineq; naturæ hoc vnum bonum, idēq; summum appellârunt. Sed eorum permulti *evanuerunt in cogitationibus suis*, & id ipsum vt summum Deum non coluerunt. Cæterùm fides

Vna duntaxat causa cuius nulla causa sit, Deus. Li. de Mundo Phys 8. Meta. 12. Gen. cap. 1.

Rom. 1.

fides (melior scientia quàm est philosophia) aliter nos docuit, nimirũ non solùm *Deo* credere, sed etiam credere *in Deum*, id est, illum prę omnibus deligere & adorare. Sed (Deus bone!) quot hodiè vivũt Christiani nomine deteriores philosophis, qui voce affirmant, vitâ negant Deum?

Fides melior scientia quàm philosophia.

CAP. 8.

In quo de causis simpliciter & per accidens disseritur.

CAusæ per accidens dicuntur duobus modis; vel quia per se in opere artis aut naturæ producendo nihil agunt, ad quod tamen perficiendum plurimùm conferunt: vel quia in opinione quidem habentur causæ, re tamen causæ non sunt. Priori modo causa *sine qua non* causa efficiens dicitur, vt scala in ædificanda domo, quæ nihil per se agit, confert tamen: posteriori modo casus & fortuna causæ appellantur, quas quidem causas non veras sed spurias ignorantia genuit, aluit imprudentia, temeritas præceps & cæca pertinaciter defendit. Ignorantia (inquam) genuit; nam prudentia illas non admittit; vetus enim est illud Philosophi, vbi est plus prudentię ibi esse minus fortunæ; quasi dixisset, ad consilium & prudentiam nullo modo admitti fortunam. Sed quid contra fortunam mortalis nunc disputo, quam tot ętates, tot sęcula vt deam coluerunt? Poeta enim Satyricus ita loquitur,

Causæ per accidẽs duobus modis dicuntur.

Casus & fortunæ mater ignorantia.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus (Fortuna) deam cœloq; locamus. Iuven. Sat. 10.

Non muto tempus, non muto personam *nos*, (ingeminabo hoc verbum) *nos facimus fortunam deam, cœloq; locamus*; *nos* (inquam) qui hac ipsâ ætate vivimus. Si quid enim de inopinato, si quid præter spem & expectationem nobis contingat, exclamamus statim, *sed te nos facimus fortuna deam, cœloq; locamus*. Sed quid agimus nos Christiani? Deus est; ergo casus non est: divina providentia est; ergo cæca fortuna non est. Argumenta hæc sunt A certissima causa omnium; ideoq; negari non debent.

Sed dices, si casus & fortuna non sint veræ causæ, redde rationem cur lupus hanc ovem, non illam ex magno grege raperet? cur fulmen

hunc

hunc non illum hominem perfoderet & vulneraret? Non tibi parcã in ſacris; ſi caſus & fortuna non dominentur, cur Tobiæ piſcis in flumine Euphrate occurreret, cujus viſcera medicamento patri & vxori futura eſſent? Cur ædes repentino caſu Iobi filios epulantes opprimerent? Hæc & ſimilia infinita ſunt, tum in ſacris tum in profanis hiſtorijs, quæ rotam fortunæ imperantis arguunt? Arguunt quidem, id eſt condemnant eos qui tam incertam cauſam fingunt. Nam quamvis cęca ignorantia hoc idôlum colat, prudentia tamen aliam ſubeſſe cauſam, nempe divinam providentiam verè agnoſcit.

Tob. 6. 7. & 8.

Iob. 1. 13.

Cæterùm quoniam reſpectu iſtius ignorantiæ humanæ multa incertâ lege contingenter in rerum natura fiant, quid ſit caſus, quid fortuna ſecundùm philoſophorũ opinionem breviter dicemus. Caſus ſeu cõtingentia *eſt modus naturæ agendi incõſtans, qui nullâ ſit neceſſitate*. Verſatur autem hic modus aut in materiâ, aut in voluntate. In materia per defectum, abundantiam, malumq; ordinem. Per defectum vt in monopode, per ſuperabundantiam vt in tripode, per malum ordinem vt in gibboſo homine, cujus partes naturæ ordine non diſponuntur. In voluntate, vt cùm pictor ille fruſtrà ſæpe contendiſſet ſpumam in ore Bucephali pingere, iratus (iniectâ ſpongiâ varijs coloribus tinctâ in os imaginis) pulcherimã ſpumam finxit. Fortuna aliam à caſu definitionem habet, nempe vt ſit *cauſa per accidens, quando aliquid præter efficientis & deliberantis ſcopũ de repentino, nullâ evidenti cauſâ antecedente, evenit*. Veteres caſum & fortunam hoc modo definiunt, caſus *eſt cauſa per accidens in rarò contingentibus, quando præter intentionem naturæ agentis, aliquid inopinatò contingit*. Vt ſi lapis ab alto cadens occidat hominem. Fortuna etiam eſt *cauſa per accidens, quando præter intentionem & propoſitum, deliberantibus aliquid evenit notabilis* (vt aiunt) *bonitatis vel malitiæ*. Sic avarus aliquando cum eat aurum defoſſum ſpectaturus, fune quo dignus eſt, ſurrepto ſuo Deo, reperit. Caveant epulones iſtius mundi; nam præter ſpem & expectationem videant manum ſcribentem hoc in pariete, *AVFERETVR REGNVM*, vel audiant illud, *Stulte hâc nocte repetent tibi animam*.

Cauſus quid.

Cauſus in materiâ ſeu in voluntate verſatur.

Fortuna quid.

Cauſus & fortunæ definitio ſecundum veteres.

Χρυσὸν ἀνὴρ ὄρυσσων ἔλιπε βρόχον, αὐτὸς ὀχευσὸν. Ὃν λίπεν ὄχ. ἄνερα ἦλθε βρόχος.

Sed ad inſtitutum redeo. Fortuna (vt quidam definiunt) eſt nihil aliud quàm *intellectus humanus actionum ſuarum cauſa, cui dum ex propoſito vnum effectum producere intendit, alius planè diverſus notabilis bonitatis aut malitiæ inſperatò evenit*. Sic ſi exempla deſideres, Fabricius aratro intentus factus eſt conſul: Sic Cæſar in ſenatu mali nil ſuſpicans miſerè transfixus perijt; beatus ille, hic vulgò infortunatus dicitur. O cæcam fortunam! quò vertis globum? Vbi figis pedem? O cœcam

Luc. 12. & 20.

Fortunæ ſecundum alios definitio.

fortunam

fortunam dixi? animum & consilium nunc muto, O divinam providentiam! dico, quę de stercore erigis pauperem, & divitem inanem dimittis; non est, non est fortuna, sed providentia Dei quæ regit, dirigit, disponit omnia. Latens & occulta sæpe hæc causa est, sed certa, fixa, definita. Incerta tibi, aut quia non sapis, aut quia non convenit vt finitus cùm sis infiniti agentis consilium scias. Hoc vnum tamen (nisi sis imprudens & inconsideratus) scias, non esse reales has causas quas *casum* & *fortunam* imperita turba & multitudo mortalium fingit. Nomina ergo (si placet) hæc mecum admittas (vix tamē vt Philosophus Christianus hæc ipsa audio) res verò putes subesse nullas. Imò sic de casu & fortunâ agas, vt olim quidam philosophi de *Chimerâ* & *Quadraturâ mundi* egerunt. Sūt enim hæc duo (nō aliter quā vacuū & infinitū) entia opinione facta, quę veteres simpliciter phātastica & *putativa* nominârunt. Verùm quoniam vmbra frequenter pro corpore sumi potest, & frons meretricis pro castâ virgine aut continente fœminâ, dico respectu crassæ ignorantiæ humanæ multa casu & fortunâ fieri; non quòd casus & fortuna sint veræ & reales causæ, sed quoniam reddi alia non potest in promptu ratio, cur hoc vel illo modo latenter & inexpectatò fierent. Notatu hoc loco dignū illud est, casū & fortunā in rarò cōtingētibus causas definiri, vbi per adverbiū *rarò*, nō tā raritatē tēporis, quā raritatem sequelę (vt aiunt) & effectū intelligit Aristot. Nā rarò cōtingit eclipsis solis vel lunę, est tamē certa & necessaria eiusdē causa, vt manifestè in philosophiâ cōstat.

Nomina tantùm, non res fortuna & casus.

Quī fit vt casus & fortuna causæ habeātur.

Quid rarò in definitione casus & fortunę significet.

Loca communia Casus & Fortunæ.

Locus primus est A distinctione contingentiū; maxima, Q *alia necessariò, alia fortuitò, alia rarò, alia frequēter, eadēmq; vel cū deliberatione, vel sine deliberatione cōtingāt evēta.* Necessariò cōtingūt, vt *eclipsis solis*; fortuitò & frequēter, vt *naufragiū*; fortuitò & rarò vt *cometa* & *mōstrum*.

Locus 1.

Alius locus est A subiecto contingentium; Maxima, quòd *subiecta contingentium illis remotis vi suâ possit subsistere.* Hæc propositio intelligenda est de accidentibus quæ in substantiâ insunt. Nam hæc etiam fortuita & contingentia dicuntur. Exempli causâ, homo potest esse sine virtute.

Locus 2.

Sequitur locus A differentiâ fortunæ & casus; maxima, quòd *fortuna cum deliberatione, casus sine consilio in rebus humanis & naturalibus fiat.* Exemplum fortunæ est, si incidas in amicū cùm expectes hostē: exemplum casus est, vt generatio monopodis.

Locus 3.

Quartus locus est A cōparatione artis & fortunę; maxima ex Arist. Q *ars et fortuna versētur circa idē.* Interpretāda est hęc propositio quoad incertitudinem eventorū quæ actiones vtriusq; sequūtur. Fieri enim

Ars & fortuna circa idem versari quī intelligendū.

poteſt vt artifice intendente vnum aliud eveniat. Ars tamen & fortuna differunt, ſi illius certa præcepta, hujus eventa occulta & incerta ſpectes.

Locus 5. Eventa fortuita non dicuntur niſi rarò eveniant.

Quintus locus eſt A conditione eventus fortuiti: maxima, *quòd eventa fortuita non dicantur niſi ſint rara & inexpectata*; ratio eſt, quia leviora quæ contingunt vt *offenſo pedis*, aut *inventio avicula* non merentur nomen *fortuitorum eventuum*, quia non ſunt inſigniter boni vel mali.

Locus 6. Fortuna quoque plex.

Sextus locus eſt A diviſione fortunæ; maxima, *quòd fortuna omnis ſit bona, mala, vel media*; *bona* vt inopinatò fieri regem; *mala* vt de alto cadere ſtatu in miſeriam, media vt tranſilire murum læſo pede, & collum non frangere.

Locus 7.

Ab auctoritate Ariſtotelis proximus locus petitur; maxima, *quòd reſpectu Dei, univerſalis naturæ, rerumq; æternarum, non ſint fortuna & caſus*; ratio eſt quia ſemper certa eſt Dei providentia, quam nihil latet aut fallit; quia certa etiam eſt univerſalis natura quam prima cauſa diligit, & quia conſtans eſt rerum æternarum ſtatus, ordo & curſus quem primus motor poſuit. Relinquitur ergo has cauſas per accidens re non eſſe cauſas ſecundùm Ariſtotelem, ſed ſolâ opinione hominũ, qui alias cauſas ignorârunt.

At dices, cur tum docet Philoſophus naturæ intentionem falli, ſi nullus naturæ effectus ſit caſualis, nullus fortuitus? reſpondeo particularem naturam falli cùm generetur monſtrum, univerſalem autem naturam non falli. Præterea hoc etiam affirmo, caſualem aut fortuitũ eventum propriè dici cùm fiat monſtrum reſpectu ſolius ignorantiæ humanæ, quæ in indagine latentium cauſarum fallitur, non reſpectu naturæ, quæ primæ cauſæ ſceptro & providentiâ regitur.

Natura particulatis fallitur in generando monſtro, univerſalis non fallitur.

Quid ergo? an nihil contingens, nihil fortuitum in rerũ naturâ eſſe exiſtimas? Non ſic exiſtimo, contingentia enim multa cum Philoſophis pravas opiniones non tenentibus defendo: ſed ita defendo, vt eò omnia quæ nobis inſperata eveniunt verè exiſtimem fieri Dei conſilio & judicio, quo ſapienter diſponũtur omnia. Deus enim quęcunq; vult facit, in cælo, in terrâ, in mari & in abyſſo.

De fortuna propria opinio.

Concludam verbo, duaſq; ſectas philoſophorum hoc loco condẽno, nimirum Epicureorum & Stoicorum, quorum illi in rebus omnibus humanis caſum & fortunam dominari ſomniârunt, hi fortuitis & contingentibus omnino negatis omnia fato ſeu inevitabili neceſſitate fieri contenderunt. Sed de caſu & fortunâ hæc ſufficiant, de fato nunc pauca adijciemus.

Epicureorum & Stoicorum ſententia.

CAP.

CAP. 9.

In quo de Fato & Necessitate.

RES omnium cognitu difficilima est fatum apud Philosophos. Sed ambagibus relictis illud definio esse *perpetuum ordinem, & rerum ex se se contextam consertamq; seriem.* Multi *necessariam connexionem*, nonnulli *confluentiam causarum cum effectu* rectè appellârunt. Aliæ fati sunt traditæ definitiones, eædemq; inter se divisæ, prout opiniones hominum de eo litigantium sunt distractæ; qui verò accuratiùs rem hanc consideranț, etsi alijs verbis quàm Aristoteles, non tamen alio sensu definiunt. Nam cùm dicant fatum esse *inevitabilem necessitatem in conceptione partuq; naturæ producendis effectum*; aut cùm describant *illud esse divinam, occultam, necessariam causam cum alijs causis concurrentem in procreandis naturalibus effectis*; aut cùm affirment id esse nihil aliud quàm *divinam providentiam veluti effusam in omnia quæ sunt*; vel denique cum aiunt esse *sempiternum nexum & veluti auream catenam causarum cum causis à qua omnia pendent*: idem re certè cum Aristotele concludunt, fatum esse *ordinem seriemq;* vt supra. Fati definitio.

Non hic nego esse quidem distinctionẽ aliquam inter *fatum*, quod Philosophus definit, & *providentiam Dei* si metaphysicè providentia divina consideretur. Verumenimvero si providentia Dei pro perpetuo ordine & dispositione causarum naturalium & effectuum sumatur, discriminis parũ inter vtrũq; existit; necessarius. n. hic nexus ordoq; fluens à Deo, & in causas rerum effectaq; influens, fatum hoc loco vel divina providentia rectè dicatur. Sed brevitati studeo, omitto reliqua, solùm exemplum addã. Contemplare mecũ primũ mobile divinâ lege perpetuò circumvolutum; vide ornatum, disce aspectũ reliquorum orbium, motum, ortum & influentiã considera, nota imperium, descende mecum ordine ad ignem, aerem, aquam & centrũ; intuere in illis mille & vicissitudines & mutationes rerum quę aliter naturæ cursu fieri non possunt. Vides nunc seriem, ordinẽ & catenã rerũ; hęc vnio lex est divina, hęc lex divina fatũ est quod dissolvi non potest. Sic enim causæ causis subordinantur, earum sic sibi invicem subiectarum & agentium connexio & ordo fatum est; nõ illud poeticum Providentia Dei & fatum quomodo differant.

ticum Parcarum penſum & filum, ſed velum naturæ, quo omnia effecta ſua ſecundis veluti auris in portum trahit.

Neceſsitas quid.

Definito jam fato, quæritur proximè quid ſit neceſſitas. Omiſſis verbis, neceſſitas non eſt ipſum fatum, ſed *modus in cauſis naturalibus agendi neceſſariò*. Aliud ergo eſt *fatum*, aliud *cauſa*, aliud *agendi modus*. Fatum eſt *connexio cauſarum*, cauſa eſt *ex qua elicitur effectus*, modus eſt *ſpecies vel ratio actionis*, vel vt quibuſdam placet *vis & potentia connexionis naturalis*. *Naturalis* (inquam) vt eſt in rebus, *metaphyſica* verò & divina vt eſt in Deo. Eſto igitur, neceſſitas eſt *modus agendi in rebus naturalibus*; hoc modo magnes non poteſt non ferrum attrahere, ſol non poteſt non illuminare, ignis non poteſt non calfacere.

Neceſsitas quomodo abſoluta, quomodo conditionata.

Sed attende (ſtudioſe lector) hanc neceſſitatem ſeu modum agendi naturalem non eſſe tam immutabilem, quin Dei nutu mutari poſſit, vt ſacræ hiſtoriæ vbiq; docent. Neceſſitas ergo hæc eſt & abſoluta, & etiam ſecundùm quid ſeu conditionata, vt aiunt; abſoluta ſi naturam, conditionata ſi primam cauſam ſpectes. Abſoluta (inquã) ſi naturã ſpectes, quippe ſecundũ ordinẽ naturæ lex iſta perpetua eſt & immutabilis: prima tamen cauſa non eſſet prima, non eſſet infinita, non eſſet libera, ſi ſemper naturali neceſſitati alligata & aſtricta ageret. Neceſſitas ergo in illa libertas eſt, vt agat vel non agat pro libero imperio & voluntate. Sed plura de fato & neceſſitate in commẽtarijs meis Phyſicorum lege.

Loca communia inventionis de Fato.

Locus 1.

Primus locus A definitione fati ſuũ nomen trahit; maxima, quòd *omnia quæ fiunt fato, neceſſariò fiant*; ratio eſt, quoniam fatum eſt *neceſſaria confluentia cauſarum, quam ordo ſerieſq; rerum naturalium effectarum ſequitur*.

Locus 2.

Alter locus ducitur A contrario ſenſu; maxima, *quòd actiones voluntatis humanæ non ſint fatales*; ratio eſt quia ſecundùm Philoſophum in Ethicis voluntas eſt libera, nullâq; inevitabili neceſſitate coacta; intelligenda ergo eſt definitio fati & fatalis neceſsitatis ſolùm de agentibus cauſis naturaliter, non de intelligentijs & hominibus, quibus primus motor motum animi voluntarium vltra ſortem cõmunis naturæ dedit. Nam vt intelligentia & voluntas res non ſunt ſimpliciter naturales; ita aliquid excellentius naturâ, id eſt immortalitatẽ eſſentiæ, & libertatem voluntatis habent. Sic tamen homo in hoc carcere lapſus habet, vt ſine gratiâ nihil ex ſe bene, nihil boni faciat. Sed adverte quòd providentia divina voluntatem humanam flectat, non cogat; ratio eſt, quoniam in eâ veluti ſub cineribus ſcintilla libertatis ineſt, quæ divino ſpiritu excitata vehementiùs ardeat.

Divina providentia flectit, non cogit.

Tertius

Tertius locus deductus est A potentiâ fati; maxima, *quòd in multis occulta & mirabilia fato naturali fiant*: ratio est, quoniam divina providentia sub nomine *fati* latet, quæ sæpe, ne natura patiatur iniuriã, miranda facit: vt ne admittatur vacuum, contra ordinem naturæ ignem elementorum levissimum deorsum, terram corporum gravissimum sursum volare cogit. Locus 3.

Quartus locus naturam fati astrologici definit; maxima est, *quòd astra fatalem necessitatem rebus inferioribus imponant*; ratio est, quoniam cœlestis motus est vniformis, & influentia syderum quoad naturam certa & indubitata. Sed observa hanc maximam interpretandã esse de necessitate quoad materiam & formam physicam seu naturalem, non quoad formam metaphysicam seu humanam, in quam cœlũ nihil nisi ex cõsequenti agit. Ex consequenti dico & mediatè, quia primùm agit in partes corporis, tum in humores, hinc in affectus, & postremò si animus corpori, humoribus & affectibus manciputur, in ipsum flectendo, non imprimendo necessitatem agit. Locus 4. Astra cur necessitatem rebus inferioribus, imponãt & quomodo.

At dices, hæc Ptolomæo alijsq; Astrologis contradicunt, qui affirmant hominum volũtates, respub. civitates, imperia, omniaq; mutabilia à syderum aspectu dependere. Imò addunt vitam, mortẽ, bellum, pacem, religionem, regna hinc vicissitudines habere suas. Audio istorum errores, nec non cum majoribus penitus condemno, nisi id argumentis confirment quod frequẽter vrgeant, nimirum *Deum alligari istis secundis causis, aut saltem illis vt instrumentis necessariò vti*, in cõditionibus rerum humanarum commutandis, aut deniq; illas insitas esse vires, vt vim in mentem humanam necessariò imprimant. Habuerunt Assyrij, habuerunt Persæ, habuerunt Romani certas suorũ imperiorum periodos, sed non à stellis; translata est religio à Iudæis ad Gentes, id stellis non efficientibus.

Mentes hominum & voluntates non formant, non mutant stellæ, nec stellis assidentes dæmones vt somniant; non sunt stellæ animalia æterna, divina, suaq; virtute infinita vt delirant. Sub aspectu Iovis ascẽdentis nati nõ sunt perpetuò fortunati, Solis faustus aspectus honorificos non facit, Veneris radiosa frons in vlnis furiosi Martis bellicosos non reddit, terram bellis non vastat Saturni cum Marte malitiosa conjunctio, Igneorũ syderum concursus non incendit, Aqueorum cõfluxus non immergit. Quid multis? octogesimus octavus annus mirabilis ille, de quo tot augurum, auruspicum, conjectorũ somnia, tot Astrologorum divinationes & oracula fuerunt edita, refellit omnes, refellit omnia vberiùs & copiosiùs. Astrologorũ deliria.

Hanc rem (studiose lector) iam tracto, quoniam aures vbiq; gentiũ

apertas nunc video Ptolomæi tabulis, Merlini fabulis, vaniſſimiſque inſomnijs cupidè audiendis: Deus eſt in cœlo qui movet, qui regit, mutat omnia; nõ cœlũ, non ſtellę, non vtriuſque motus & influentia. Agnoſco tamen fatum eſſe in his, id eſt nexũ, ordinem & ſeriem naturalium cauſarum: nam cœlum, ſtellæ & vtriuſque aſpectus naturaliter movent, regunt, mutant inferiora; ſed ita movent, regunt, mutãt, vt ſurſum ſit cauſa ſapientiſſima quæ dominetur aſtris. Movet cœlum minorem mundi globulum, movet etiam minorem mundum, id eſt hominem, affectus in illo varios varioſque humores gignit: mentem autem, divinam illam partem hominis directè non movet, quia medio quo moveret naturali caret, ſiquidẽ corpus in ſpiritũ directè & naturaliter non agit. Dum verò eſt in hoc carcere incluſus, eundem flectit; flectit (inquam) non ei imponit neceſſitatem; quia omnes ferè ſenſus & affectus, non mentis imperium ſequimur.

Quomodo movent, regũt & mutant ſtellæ.

At agit (inquis) ſpiritus, agit Deus; non nego. Eſt ergo fatalis neceſſitas humanarum actionum; nam Deus regit mentem, regit voluntatem. Regit quidem, vt nihil agat homo, vel non agat contra illius potentiam; ſed hominem finxit ſimillimum mente ſibi, eumq; noluit fatali neceſſitate cogi aut coerceri. Si quid boni agat à ſummo bono habet, ſi quid mali, ſibi ipſi acceptum ferat, qui malũ declinare noluit. Si vivas ſalvus ſalus eſt à Deo, ſi pereas, ne dicas cũ Stoico *fato perij*; neceſſitas abſoluta non impulit, conditionata permiſit, vt malè ſi te ipſum perdas, malus pereas; nam quoties te volui congregare? ſed noluiſti: velle tuum ſimpliciter nõ eſt, ſed eſt nolle tuum, *ſalus tua ex me, perditio ex te ô Iſrael*.

Regit mentẽ humanam, & voluntatẽ Deus qualiter.

Oſe. 13. 9.

Supereſt locus A neceſſitate, quæ eſt modus agendi in neceſſarijs; maxima, *quòd neceſſaria ſit & connexio cauſarum, & neceſſaria etiam effectuum conſecutio*. Hæc propoſitio intelligenda eſt de confluentiâ cauſarum naturalium, quæ actu vnitæ neceſſariò ſuum effectum pariunt. Verùm quoniam naturales cauſæ non propriè, per ſe & immediatè in mentem & voluntatem humanam agant, mentis & voluntatis actiones liberæ dicuntur, non neceſſariæ, id eſt non coactæ; notæ tamen ſunt & prævisæ primæ cauſæ, quam nihil omnino latet. Sed hæc præcognitio non eſt cauſa neceſſitatis, quippe non hoc vel illud neceſſariò agit homo quoniam præſcit Deus; præſcientia enim Dei eſt vniverſalis præcognitio futuri, non fatalis neceſſitas impulſiog; facti.

Locus à neceſſitate.

Mentis actiones & volũtatis cur liberę dicantur.

Dei præſciẽtia qualis.

Sed graviſſimis hęc theologis relinquo, qui de electione noſtra ante iacta fundamenta mũdi, de prædeſtinatione ſobriè & ſapienter diſputant. Solùm te hoc loco (iuvenis philoſophe) monendum

nendum esse censeo ne sis in hâc quæstione Stoicus, ne sis Epicurus; hoc est ne sis nimis curiosus aut dissolutus; aliquid enim divinum in hoc nomine *fati* latet, quod sapientes plerumque exclamare cogit *O altitudinem & profunditatem sapientiæ Dei!* Sape igitur ad sobrietatem; nam qui abyssum fodit, gurgite vertigineq; absorptus facilè non emergit.

Rom 9. Lege D. Aug. l. 5. de Civit. cap. 10.

CAP. 10.

De motu in genere, & de requisitis ad motum & illius distinctionem.

PRincipijs & causis rerum naturalium tam internis quàm externis breviter à me demõstratis, sequitur nunc vt agam paucis de effectibus & adiunctis naturæ. Et quoniam motus in definitione naturæ potiùs est primum instrumentum & veluti dextra manus qua natura vtitur in apprehendẽdis formis, rebusq; omnibus commutandis, de motu in primis agam.

Motus nomẽ multiplex & æquivocum.

Hoc nomẽ *motus* multiplex & æquivocum est, quod non in vno sed in multis prædicamentis ponitur. Est enim enim in Substantia, Quantitate, Qualitate & Vbi. Cæterùm distinctione eiusdem traditâ fieri potest vnivocum, iuxta illud quod dici solet *æquivocum distinctum fit vnivocum*. Omissis ergo verbis, omnis motus est vel Metaphysicus, vel Physicus seu naturalis. Metaphysicus extra aleas virefque naturę est, quia materiam nullam subiectam habet, vt *creatio*, & *in nihilum* commutatio, quæ vulgò *annihilatio* dicitur. Motus physicus sumitur aut absolutè aut analogicè; absolutè pro reali progressione naturæ à termino ad terminũ, vt in *nutritione ab alimento in substãtiam alti*; analogicè pro intentionali mutatione sensuum, quæ per abstractas species inter sensus & obiecta oritur. Absolutè sumptus motus definitur metaphysicè *instrumentum primum manusque naturæ, quâ apprehendit formas*; definitur autem physicè, *actus entis mobilis in potentia quatenus fiat tale*. Est *actus* inchoatus non perfectus; nam actus perfectus forma est non motus. Est *actus entis* realis non intentionalis; *est actus entis mobilis*, & non sub formâ quiescentis; nam acquisitâ formâ motus quiescit. Est *actus entis mobilis in potentiâ*, id est in potentiâ propinquâ quę reducitur ad actum, non in remotâ quæ rarò terminum acquirit. Est *actus entis mobilis in potentiâ quatenus fiat tale*, id est quatenus ens mobi-

Æquivocum distinctum fit vnivocum.

Motus distinctio.

Motus physicus bifariam sumptus.

Varię definitiones motus.

le (quod est proximum subiectum motus) hanc vel illam formam induat. Sunt aliæ definitiones motus, nempe quòd sit *progressio rei mobilis à termino ad terminum*, quòd sit *activa potentia naturæ quâ acquiritur forma*, quòd sit *primus gradus perfectionis naturalis*, quòd sit *imperfecta perfectio mobilis in potentiâ*; nam absoluta perfectio forma est, & ex parte motus quo ad formam vehitur.

Ad motum requisita quæ.

Assignatâ definitione sequitur enumeratio eorũ quę requirũtur ad motũ. Requirũtur quidẽ ad motũ movẽs, mobile, tẽpus, terminus *à quo* & terminus *ad quem*. Movens physicum est aut metaphysicũ, hoc nẽpe metaphysicum pima causa dicitur, quam Deum & primum motorem appellat Philosophus: Deum quia videt omnia, motorem quia movet omnia. Illud nempe movens physicum natura, potentia, efficiẽs, finis diverso respectu dicitur. Natura, quę est principium motus; potentia, quâ materia appetit formam; efficiens causa, quæ ipsam potentiam movet; finis primùm intentus, qui efficiẽtem causam vrget, vt segnem materiam primam in mera potentia positam ad formam

Mobilis definitio.

acquirendam incitet: natura & potentia prima materiæ interna, efficiens & finis externa moventia sunt & appellantur. Vt movens, ita mobile ad motum requiritur; est enim motus actus mobilis, & mobile definitur proprium subiectum motus; at accidens sine subiecto esse non potest: non est ergo motus sine mobili.

Tẽpus quid.

Qui definiunt mobile aiunt *ens rei esse, quod ad aliud naturæ vi mutatum tendit*: vt *ovum* ad formam *pulli*, *granum sepultum* in terra ad formam *plantæ*, *embryo* in vtero *ad formam hominis*. Tempus est *mensura motus*: necessariò ergo requiritur ad motum tempus; mobile

Terminus à quo qualis.

enim ad terminum suum in instanti non fertur, hinc *successivum* propria passio motus dicitur, quippe illius partes simul actu esse nõ possunt. Terminus

Terminus ad quem.

à quo est vnde incipit motus, terminus *ad quem vbi desinit*; duo enim extrema sunt, principium *à quo*, & finis *quò* tendit motus: ad motum ergo requiruntur.

Motus divisio

Restat vt de divisione motus paucula attexã. Dividitur omnis motus in internum & externum. Internus aut respicit formam in substantia quæ de novo acquiritur, *vt generatio*, aut quæ deperditur, vt *corruptio*. Externus motus respicit aut qualitatem in qua alteratio,

Alteratio duplex.

aut quantitatem in qua *augmentatio* & *diminutio*, aut vbi in quo *loci mutatio* ponitur. Alteratio duplex est, impropria vt alteratio animi per species intentionales rerum, propria cùm sit realis contrariorum in eodem lucta & concertatio, quæ lucta fit aut pluribus aut paucioribus gradibus qualitatis; si pluribus *intensio*, si paucioribus *remissio* qualitatis dicitur. Vt qualitatem motus respicit, vnde *alteratio*, eiusdemque

ejusdemq; species *intensio* & *remissio*: ita quantitatem quòq; respicit, vnde *augmentatio* & *diminutio* oriuntur. Sed attende quòd respiciat quantitatem quoad *maius* vel quoad *minus*. Quoad majus duobus modis, aut per ingressum alicujus substantiæ, vt in *augmentatione propriâ*, vel per ingressum nullius substantiæ, vt in *rarefactione*. Est enim augmentatio cùm admixta fit alia substantia, vt in *spongiâ aquâ repletâ*, & in *corpore alimento naturaliter aucto*; est rarefactio nullâ aliâ admixtâ materiâ, vt in *ebullitione lactis* cernitur, vbi parum materiæ multùm extenditur. Si verò hic motus fiat ad minus, fit etiam duobus modis, aut per egressum alicujus substantiæ, vt in compressione spongiæ, cùm effluat aqua, & sic *diminutio*: aut per egressum nullius substantiæ, vt in constrictione gelu, quæ propriè *condensatio* dicitur. Est enim condensatio *cùm sub parva quantitate multum lateat materiæ, quæ intus compacta parùm extenditur*. Condensatio quando fiat.

Postremus respectus ipsius motus est in Vbi, vnde loci commutatio suum nomen trahit. Hic verò motus est vel in principio, vt *motus cœli in potentiâ primi moteris*: vel in naturali exitu et loco, vt *motus ignis in suâ sphærâ*. Hactenus generatim de motu, de requisitis ad motum, & ejusdem generali divisione.

Loca communia à generali consideratione & naturâ motus

Primus locus est A subiecto motus; maxima, *quòd omnis motus sit in movente vt in principio, in mobili vt in subiecto proprio*. Locus 1. Ratio est, quoniam in subjecto completo, vt in *pullo* cessat motus; est enim motus via naturæ ad formam, quâ acquisitâ mobile perficitur, motusq; quiescit, do nec privatio eandem formam acquisitam sustulerit, materiamq; compellat ad novam formam acquirendam.

Alter locus est A necessitate motus; maxima, *quòd ignorato motu ignoretur natura*: ratio est, quoniam motus est in definitione naturæ loco differentiæ, aut primæ passionis à qua nostra cognitio oritur. Locus 2.

Tertius locus est A quantitate motus; maxima, *quòd omnis motus sit continuus & infinitus*. Locus 3. Continuus, quoniam illius partes copulantur ad *mutatum esse* in re omni mutabili; infinitus, non actu sed potentiâ, non secundùm ejusdem divisionis & quantitatis, sed secundùm partes ejusdem proportionis. Est enim omne continuum divisibile in infinitas partes proportionales vt aiunt, juxta illud quod dici solet, in *quantitate continuâ non licet invenire minimum, in quantitate discretâ non licet invenire maximum*.

Quartus locus ducitur A contrario; maxima, *quòd motus & quies opponantur*. Locus 4. Hanc maximam intellige privativè; nam quies est privatio motus. Motus & quies opponuntur privativè.

Locus.5. Quintus locus est A proprietate motus;maxima, quòd *omnis motus sit à contrario in contrarium*, id est à termino *à quo* ad terminum *ad quẽ* per medium in progressione mobilis ad finem.

Omnis motus à contrario in contrariũ quo modo dicatur.

Sextus est A mensura motus;maxima, quòd *omnis motus in tempore fiat successivè, nullusq; omnino in instanti*:ratio est, quia successivum est differentia motus quæ nunquam in instanti contingit.

Locus.7. Septimus est A medio termino motus; maxima, *quod mutatum esse sit in motu medium, vt instans in tempore*. Illius enim partes ad illud, vt huius ad hoc vniuntur.

Locus .8. Octavus est Ab interitu subiecti;maxima, *quòd sublato corpore tollatur motus*. Intelligenda est hæc propositio de motu physico & naturali;nam angeli & intelligentiæ definitivè & spirituali motu cientur.

Locus.9. Nonus locus est Ab vnitate motus;maxima, *quòd omnis motus dicatur vnus & continuus, qui vnitate formæ, mobilis & temporis coniungitur*. Formæ, nempe vt sit vnus numero terminus, hinc *calefactio* & *frigefactio* non sunt vnus numero motus, quia non est vnus numero terminus; nec *duæ calefactiones* sunt vnus motus, quia non est idem numero calor. Mobilis, quia requiritur vt mobile sit per totum tempus Ipsius motus vnum, cuius defectu *motus lapidis* & *ferri* non est vnus, quamvis vtrumque ab eodem agente moveatur. Temporis, quoniã si fiat interruptio idem numero non est motus, cessatio enim & quies motus individuam vnitatem negant.

Locus .10. Decimus est A partibus motus;maxima, *quòd omnis motus habeat partes & medium*;id est in omni motu assignari possint priores & posteriores partes, quæ necessariò copulatę sunt ad *mutatum esse*, cuius medij in omni motu mensura instans est. Nam licèt motus ipse non sit nisi in tempore, *mutatum* tamen *esse* in instanti fiat.

Locus.11. Vndecimꝰ est A cõparatione mobilis cũ motu;maxima, quòd *quicquid movetur ab alio movetur, quodq; in motu dici non possit primum*. Ratio prioris partis in hac propositione est, quoniã vt est internũ principiũ motus, videlicet natura: ita est externa causa eiusdem, nempe efficiens, quæ extrinsecus vim addit mobili. Ratio secundæ partis est quoniam motus est semper continuus & divisibilis: primum ergo instans in quo motus insit dari non potest, si motũ in specie spectes.

Vltimus locus est A comparatione motus cum terminis; maxima, *quod mobile ratione motus partim in termino* à quo, *& partim in termino ad quem*, id est partim actu, partim potentiâ existat, vt in omni genere motus videre licet.

CAP.

CAP.II.

De singulis speciebus & proprietatibus motus.

COnstat generatim quid sit motus, & quæ ad motum requirantur; superest vt nunc species eiusdem definiantur, earumque ordine assignentur proprietates. Non placet Aristotelli *ortum interitumq;* inter motus species repetere; ratio duplex est, quia in instanti fiunt, & quia vtriusque termini entia nõ habentur. Ducitur enim *generatio* à non ente, & in non ens dilabitur *corruptio*. Cæterùm cùm vtraque species aut progressivè (vt aiunt) in tempore, aut perfectivè in instanti sumatur: priori modo vtramque acceptam paucis definiam. Est ergo generatio *progressio seu motus mobilis à non ente ad ens*. Per *non ens* non simpliciter nihil, sed *non ens tale* quale futurum est mobile per motum: per *ens* formam in substantiâ acquirendã intelligo. Sic cùm generetur *ignis* aut *terra*, materia prima *non ens*; cùm absolvatur generatio, forma acquisita *ens* propriè dicitur. Attende etiam quòd generatio dicatur à non ente procedere, quia à *privatione, quæ est principium generationis, non res genita* auspicatur. Similiter corruptio in privationem, id est in *non ens* formâ sublatâ desinit. Hinc corruptio *est progressio seu motus mobilis ab ente ad non ens tale*, vt ab *homine* ad *cadaver*. Nota quòd duplex sit generatio, & itidem corruptio duplex, simplex & propria in Substantiâ, cùm de novo acquiratur vel deperdatur forma essentialis; secundùm quid (vt aiunt) & impropria, cùm accidens aliquod generetur aut corrumpatur. Propriè enim & per se generatio & corruptio sunt in substantijs, impropriè verò in accidentibus, quæ suum ortum & occasum habent.

Cur ortus & interitus inter species motus enumerentur.

Generatio quid.

Corruptio quid.

Generatio duplex.

Corruptio duplex.

Præter has internas species aliæ quatuor sunt, quarum duæ in Quãtitate vt *augmentatio, diminutio*, vna in Qualitate *vt alteratio*, vltima in Vbi *vt loci mutatio*. Augmentatio definitur *præexistentis quantitatis per ingressum alicuius rei* (vt ita loquar) *maioratio* Hoc quidem in nutritione *infantis* & *plantæ* crescentis manifestè cernitur, quorum quantitas naturæ vi auctior ampliorq; redditur, hoc est cùm alimẽtũ in naturam

turam aliti conversum per generationem totius & singularum partium mensuram auget, quod semper fit donec vegetantia ad consistentem ætatem pervenerint. Diminutio est *maioris quantitatis sine alio, cuius ingressu minoratio seu decretio*; vt post consistentem ętatem in homine evidenter videre licet, quãdo viribus spiritibusq; vitæ languescentibus flos iuventis cadit, & autumnus senectæ rabescentis incipit. Animadvertendum hìc est augmentationem & diminutionẽ bifariam sumi, aut propriè, cùm vi naturæ fiant ut supra, aut impropriè, quando arte aut alio præternaturali modo contingant; sic augmentatio in tumoribus ex vulnere, sic diminutio in hecticis febribus ex nimio calore cernitur. Huc spectant rarefactio & condensatio; rarefactio est cùm modica materia vel substantia multũ fit extẽsa, sine ingressu alterius substãtię, vt in *aquâ ebulliente*; condensatio est cùm copiosa substantia seu materia sub parvâ quantitate delitescens parùm extenditur, vt *in aqua concretâ gelu*. Rarefactio analogicè ad augmentationem, condensatio ad diminutionem refertur; est enim rarefactio (vt ita loquar) *quadam maioratio*; condensatio verò *quadam minoratio quantitatis, vnà cum loci extensione aut compressione*.

Diminutio quid

Augmentatio & diminutio bifariam sumuntur.

Rarefactio quid.

Condensatio quid.

Alteratio duplex.

Alteratio quinta species motus est quoque duplex, propria & impropria; illa est motus naturalis per gradus ab vna contrariâ qualitate ad contrariam, in eodem subiecto capaci vtriusque, vt *à calido in frigidum*, ab *humido* in *siccum*; impropria alteratio est inter eas qualitates quæ naturaliter non agunt, non patiuntur, vt inter qualitates aliorum generum à tertio in prædicamento Qualitatis: in tertio enim solùm genere sunt propriè activæ & passivæ qualitates, quæ in primas & secundas dividuntur; primę sunt *vt calor, frigus, humiditas & siccitas*, in *igne, aquâ, aëre & terrâ*; secundæ sunt *vt rarum, densum, leve, asperum*, coloresque omnes qui ex primis oriuntur. Notandum hìc est ♀ alteratio propria fiat per gradus in agendo & patiendo, hi verò gradus sunt vel plures vnde *intensio*, vel pauciores vnde *remissio*, analogicæ species alterationis oriuntur. Est enim intensio *alteratio, cùm agens qualitatem subiecto vires patientis qualitatis superet*, ♀ in *aqua calescente* fit: remissio verò *cùm qualitas gradibus intensionis diminutis redijt ad propriam vim & naturam suam*, vt in *aqua refrigescente* igne sublato cernitur.

In tertio genere qualitatis activæ & passivæ qualitates tantùm reperiuntur.

Intensio & remissio analogicæ species alterationis, sunt.

Postrema species motus *loci commutatio est*, quæ definitur propriè *mutatio alicuius de loco in locum*. Hunc motum dividunt aliqui in rectum, orbicum & mixtum; rectus est *elementorum*, orbicus *cœlestium corporum*, mixtus *animalium*. Aliqui etiam eundem distribuunt in violentum

olentum, animalem, naturalem. Violentus motus est ab extrinseco principio, passo vim non conferente, id est, mobili nullam inclinationem ad illum naturaliter habente, imò quantum in se est resistente. Sic motus *lapidis* sursum violentus est, causâ aliquâ externâ lapidi vim imprimente; quæ vis impetus, qui impetus virtus impressa impellentis dicitur, quæ virtus languescens tardiorem in fine quàm in principio motum violentum reddit. Hinc illud, *motus naturalis est velocior in fine, quia vires movendo acquirit; violentus autem tardior quia vires in principio impressas movendo tandem penitus amittit*. Naturalis motus est cuius principium internum est in re mobili, per *principium internum* naturam intellige; vel est à principio intrinseco passo vim conferente, id est re mobili inclinationem habente ad talem mutationem; hic motus est, (vt modo diximus) remissus in principio & intensus in fine. Animalis deniq; motus est cuius principium intra se est anima, quæ qualemcumque cognitionem rei objectæ moventis habet; *sic bellua sensu & phantasia, sic homo voluntate & intellectu* movetur. Ex his constat animalem motum mixtum & medium esse inter violentum & naturalem, quia ex principio intrinseco constat vt naturalis, passo vim non conferente vt violentus; differt autem ab vtroque, quia & in principio & in fine tardus, in medio intensus & velox existit. In principio enim plerumque animal viribus nondum satis excitatis admodum tardiusculè, in fine etiam spiritibus propemodùm exhaustis segniter movetur, in medio autem cursu viribus auctis & valentibus citatiùs celeriusq; rapitur.

Naturalis motus qualis.

Animalis motus qualis.

Motus violenti species.

Pergamus; singula hæc genera motus localis suas partes & species habent, nam violentus motus in *pulsionem, tractionem & vectionem* dividitur. Pulsio est *motus quo aliquid à se projecit, & non adhæret*; sic *telum* aut *balista movens* dicitur motu pulsionis. Tractio *est motus quo aliquid aliud ad se trahit*, vt *adamas ferrum*. Vectio est *motus per accidens quo aliquid quiescens movetur, vt homo in navi*. Huc referuntur analogicè *impulsio* qualis est motus *clavi infixi malleo*; *appulsio*, qualis est motus *sagittæ ex arcu*; *rotatio*, qualis est motus *rotæ* ex pulsione & tractione constans. Sed hæc de violento motu satis.

Pulsio quid.

Tractio quid.

Vectio quid.

Motus naturalis (vt antea demonstravi) divisus est in *rectum, orbicum & mixtum*. Rectus est *sursum* aut *deorsum*, idq; duobus modis *sursum*, aut *simpliciter*, vt *motus ignis*, aut *secundùm quid*, seu ex parte, vt *motus aëris*. *Deorsum* itidem aut *absolutè*, vt motus *terræ*, aut *comparatè* vt motus *aquæ*, *quæ* propter salutem animantium in canalibus terræ continetur. Orbicularis motus est *conversio*

Motus naturalis species.

Motus orbicus quid.

corporis ab eodem puncto ad idem; hic autem motus est vel *secundùm totum*, vel *secundùm partes*: secundùm totum, sic *orbes planetarum* moventur, inter quos superior orbis est locus inferiori: secundùm partes, sic *cœlum primum mobile* cietur, quia vna pars alteri in motu locus habetur. Qui verò de motu primi mobilis accuratiùs philosophantur, affirmant quidem causam motionis in illo triplicem esse; *formam internam* quæ est maximè activa, *figuram externam* quæ est ad talem motum aptissima, *potentiam moventis* quæ est infinita, quæque sola potest sine loco naturali corpus primum movere. Mixtus motus *motus animalis est*, qui respicit omnes differentias loci, nimirum *sursum*, *deorsum*, *ante*, *pone*, *dextrum* & *sinistrum*. Hic motus animalis *ex parte* non *simpliciter* naturalis dicitur, qui est quodammodo in omni animali, maximè verò in homine voluntarius. Species hujus motus quatuor sunt, *gressus*, *volatus*, *natatio* & *reptatio*. *Gressus* est cùm animal *pedibus incedit*, *volatus* cùm *alis innixum in aërem fertur*, *natatio* cùm *pinnis aquâ innatat*, *reptatio cùm corporis constrictione & dilatatione super terram movetur*: huc revocatur motus ille *dilationis* qui in conchis affixis suis locis cernitur. Et hæc de motu in specie; sequuntur loca inventionis, in quibus propria ejusdem enucleatiùs demonstrantur.

Triplex causa motionis assignata in primo mobili.

Motus mixtus

Motus animalis in omni animali, maximè verò in homine voluntarius.

CAP.

CAP. 12.

In quo loca communia differendi de Motus speciebus ordine tractantur, & primùm de Generatione.

DVcitur primus locus A relatis; maxima, *quòd motus, mobile & movens sint relativè simul*: ratio est, quia movens non est sine mobili, & mobile non est sine motu. Hęc maxima intelligenda est quoad actum, in quo simul cõsiderentur hæc tria. Locus 1.

Alter locus est A partibus seu adjunctis ipsius motus, nempe ab actione & passione; maxima, *quòd actio & passio sint realiter unus idemque motus*: ratio est, quoniam sunt idem actus quem agens agendo (vt ita loquar) causat, & quem mobile patiendo recipit, vt patet in igne calefaciente aquam. Vt enim est idem spacium ascendentis & descendentis, eademque via Thebis Athenas, & Athenis Thebas: ita moventis & mobilis vnus est actus, non re sed solùm ratione distinctus. Locus 2.

Tertius locus est A proprietatibus, vel vt quidam volunt A speciebus motus; maxima, *quod omnis motus sit velox aut tardus*; ratio est, quia omnis motus tempore brevi aut longo mensuratur. Est enim velocitas motus qui brevi, tarditas verò est motus qui longiore tempore conficitur. Locus 3. Velocitas & tarditas.

Sequuntur jam loca de speciebus motus: primus A speciali proprietate generationis petitur; maxima, *quòd generatio vnius sit corruptio alterius*; ratio est, quoniam generatio à privatione incipit, quę semper præeuntem corruptionem arguit. Locus 4.

Secundus est A divisione generationis; maxima, *quòd omnis generatio sit simplex vel mixta*; ad illam formæ cum materia vnio, ad hanc accidentium accessio requiritur. Locus 5.

Tertius ab oppositis; maxima, *si generatio alicuius rei sit bona, res ipsa erit bona, eiusdemque corruptio mala*: quæ maxima intelligenda est in eodem genere boni aut mali, vt Dialectici docent. Exempli causâ, si generatio *Socratis* sit *bona* naturaliter, *Socrates* ipse erit *bonus* effectus naturæ, cujus *interitus* ex consequenti *malus* erit, quia *bonum* opus naturæ tollit. Cæterùm si mutes genus boni aut mali, ratio non tenet; quia non sequitur, Socratis generatio est bona *naturaliter*: ergo Locus 6.

go Socrates est bonus *moribus*, aut illius corruptio est mala *si animi dona spectes.*

Forma differendi à Corruptione.

Locus 1. Primus locus est A distinctione *corruptionis*; maxima, *quòd omnis corruptio sit naturalis aut violenta*: naturalis est cùm per motum naturalē privatione insitâ declinet forma, vt *in decrepitâ ætate hominis* videre licet; violenta est cùm ante defectionem naturalem externâ vi res ipsa tollatur.

Corruptio duplex.

Locus 2. Alter locus est A subiecto & proprio corruptionis; maxima, *quòd quicquid corrumpitur à contrario corrumpatur*, ratio est, quia actio & passio sunt inter se contraria.

Locus 3. Tertius locus est A modo corruptionis; maxima, *quòd omnis corruptio sit in non ens, nullo tamen in nihilum.* Intelligenda est hæc propositio quoad vim naturæ, quæ semper in transmutatione rerum materiam relinquit.

Locus 4. Finis corruptionis quis. Quartus A fine corruptionis, nempe *quòd finis corruptionis rei, naturalis corruptæ sit putredo aut putrefactio*; hęc maxima interpretanda est de corpore naturali, quod deficiente calore naturali in putrefactionem, sublato autē & penitus extincto calore in putredinem tendit.

Discrimen inter putredinē & putrefactionem. Hìc nota discrimen inter putredinem & putrefactionem hoc esse, *quòd putrefactio sit consumptio caloris relicto humido*, vt in proiecto cadavere; *putredo autem sit consumptio caloris, tũ etiam humoris*, vt scheleton *humanum docet*, cùm caro, musculi, nervi & humores in cinerem commutentur.

Forma differendi ab Augmentatione & Diminutione.

Locus 1. Primus locus est A principio & causâ augmentationis propriæ; maxima, *quòd anima sit primaria, calor naturalis minùs primaria seu instrumentalis causa tum nutritionis, tum augmentationis*; ratio est, quia nutritio & augmentatio propriè sint solùm in animatis, in quibus anima motus principium, calor instrumentum dicitur.

Calor instrumentum nutritionis.

Locus 2. Secundus locus est A differentiâ nutritionis & augmentationis; maxima, *quòd nutritio ad substantia restaurationem, augmentatio ad instam quantitatis proportionem referatur.* Hinc illud *Quicquid augescit nutritur, sed quicquid nutritur non augescit.* Senes enim nutriuntur, sed non augentur.

Locus 3. Tertius locus est A proportione & cognatione augmentationis & nutritionis; maxima, *quòd nutritio & augmentatio in principio* vz. animâ, *& instrumento* vz. calore, *& fine* vz. conservatione aucti & nutriti *conveniant.* Nam vt nutritio est *conversio alimenti in naturam alitis ab anima profecta, mediante calore naturali, vt restauretur deperditum*: ita augmentatio

mentatio quoq; est *conversio alimenti in naturam alitij, facta ab anima mediante calore naturali, vt corpus iustam attingat quantitatem.*

Quartus est A contraria specie; maxima, *quòd tum nutritioni tũ augmentationi opponatur naturalis diminutio*, quæ est *consumptio rei animatæ, orta ab anima, mediante calore aut minùs ardenti, aut efferuescenti minùs*; quam consequitur corporis in singulis partibus *decretio*, seu vt loquuntur veteres *minoratio*. Locus 4.

Quintus est A potentijs augmentationis & nutritionis; maxima, *quòd potentia vtriusq; sint quatuor; attrahendi, retinendi, digerendi, expellendi*, quæ omnes in toto corpore animato, & etiam singulis partibus cõtinentur. Locus. 5. Potentiæ augmentationis, & nutritionis quatuor.

Sextus est A gemino proprio augmẽtationis; maxima, *quòd qualibet pars aucti augeatur*. Similiter dicendum est de diminutione, sed intelligenda est hæc maxima duntaxat de partibus sanis; nã putridæ mortuæq; partes, malèque affectæ non augentur, non nutriuntur. Locus. 6.

Septimus est A modo & ordine augmentationis; maxima, quòd *homogeneæ & heteregeneæ, id est similares & dissimilares partes in corpore non similiter augescant*; ratio est, quia nutrimentũ non æqualiter attrahatur ad omnes partes, cùm vna pars minùs, alia magis à fonte nutritionis distet. Locus. 7.

Octavus est A necessarijs; maxima, quòd *proximè ad formalẽ augmẽtationẽ requiratur cõcoctio et eiusdẽ comes assimilatio*; cõcoctio est *perfectio nutritionis*, assimilatio est *perfectio concoctionis* cũ singulę partes per appositionẽ nutrimẽti restaurẽtur. Cõcoctio triplex est, prima in chilũ quę in stomacho, secũda in sãguinẽ quæ in hepate, tertia in substãriã totius & partis, quę in singulis partibus per iustã distributionẽ naturæ cernitur. Locus. 8.

Nonus est A subiecto augmentationis; maxima, *q̃ auctũ maneat idẽ vnũq; numero antè & post augmentationẽ*; ratio est, quia illius partes secundũ situ, figurã & dispositionem nõ mutãtur; hoc idẽ est q̃ Aristoteles dicit, augmentationem fieri secundùm partes formales nõ materiales; hoc (inquã) dicit, nõ q̃ materiales augeãtur, sed quod in formalibus proportio & ornatus quantitatis magis quã in illis cernatur. Locus. 9.

Decimus est A consideratione extrinseci; maxima, quòd *augmentatio semper aduentu alicuius corporis extrinsecus adiuncti sine vlla corporum aut dimensionũ penetratione fiat*; ratio est, quia incorporeum nullo modo auget, & quia natura abhorret à vacuo, quod esset admittendum si vlla esset dimensionum penetratio. Locus. 10.

Postremus locus est A comparatis; maxima, quòd *augens & auctum sint similia in materia, quæ tamen ante conversionem in naturam formã*

omnino differunt, ita tamen differunt, vt vnum sit capax naturâ alterius. Nã vbi nõ potest esse cõversio, ibi nõ est similitudo, de quâ hoc loco Arist. agit; vt in *venenis* cõstat, quæ in naturã aliti nõ commutantur,

Modus differendi ab Alteratione.

Pauca omnino loca A diminutione in vltimo tractatu equidẽ ducebã, quoniã mutato nomine & sẽsu eadẽ oppositorũ habeatur invẽtio.

Locus 1. Pergã ad alterationem, in qua tractandâ primus est locus A notione nominis; maxima, quòd *alteratio propria sit solùm mutatio subiecti à cõtraria qualitate in contrariam, per actionem & passionem, nisi vna earum qualitatum formaliter insità natura, vt calor ignis, splendor solis.* Formaliter dico, quia *candor* in nive sequens materiam nivis in alium colorem mutari potest.

Alteratio propria,

Locus 2. Alter locus est A gradibus alterationis; maxima est, quòd *qualitates alteratrices propriè magis & minus suscipiant.* Ratio est, quia duę sũt species alterationis, *intensio* & *remissio*, de quibus suprâ satis.

Locus 3. Intensio & remissio species alterationis.

Tertius est A causis intensionis & remissionis; maxima, quòd *causa intensionis* sit *potentia naturalis agentis, causa remissionis impotentia patientis* q̃ cedendo vincitur; ratio est, quia secundùm formã & potentiam agere, secundùm materiam & impotentiam pati res naturales dicantur; forma enim vim potentiæ, potentia vim actioni addit, materia autem & impotentia contrarium agunt.

Locus 4. Quartus est A medio alterationum; maxima, quòd *medium inter adversa, si cũ vno extremorũ cõferatur rationem contrarij subeat*: siquidẽ medium solùm respectu vtriusque, non vnius extremi dicitur. Potest hęc maxima intelligi de medijs tum *participationis* tum *abnegationis*. Participationis media sunt quæ de vtroque extremorum communicant, vt *medij colores*; abnegationis quæ per negationem vtriusq; cognoscuntur, vt *quod nec est bonum nec malum, vt dispositio.*

Locus 5. Quintus est Ab vsu alterationis; maxima, quòd *finis alterationis sit alteratorum vnio, vt rerum perpetua vicissitudo fiat.* Alteratorum vnio est mixtio simplicium corporum, primarumque & secundarum qualitatum naturalis cõitio, vnde omnia physica corpora perfectè mixta oriuntur. Mixtio verò est vel ad pondus (vt aiunt) cùm vnum elementorum aut qualitatũ non prædominetur: vel ad iustitiam, cùm talis sit proportio mixtorum, talis temperies, qualem provida & sagax natura singulis præscribit. Illa aptitudine fieri potest, sed nunquam fit, quia non convenit naturæ vt fiat: hæc vbique in omni mixto eminet & apparet, in quo vnum elementorum, vnaque qualitas elementaris cæteris ex lege naturæ præest,

Mixtio duplex.

Forma differendi à locali motu.

Primus locus est Ab externa causa motus localis; maxima, quòd *intrinsecũ principiũ motus localis sit natura potẽtiaq; naturæ, quâ res qualibet ad locũ naturalem tendit.* Hæc propositio intelligi debet de motu locali naturali, cuius mobile in se principium habet, ipsam videlicet naturam; non de motu violento, cuius principium est extrinsecum, quod passum renitens reluctansque ad alium locum pellit. Locus.1.

Alter locus est Ab opposito; maxima, quòd *motus violentus* (qui opponitur naturali) *nõ sit diuturnus*; ratio est, quoniam naturæ fibras viresque convellit. Locus.2. Motus violẽtus cur nõ sit æternus.

Tertius est A comparatis; maxima, quòd *naturalis motus sit velocior in fine quam in principio: animalis verò & violentus tardior.* Rationes huius maximæ superiùs tradidi. Locus.3.

Quartus est A differentiâ loci motusque localis; maxima, quòd *proprie & per se solùm motus animalis idemq; perfectus loci differentijs distinguatur*; ratio est, quia solùm in animalibus sint membra seu partes quæ ijsdem differentijs respondeant; sic *caput hominis* sursum, *pedes* deorsum, *frons* ante, ponè *dorsum*, latera *dextrum* & *sinistrum* dicuntur. Sed attende, *sursum* vel nutritionem vel dimensionem respicere: priori modo radicem plantæ *sursum*, posteriori modo id omne quod est cœlo proximum *sursum* esse dicimus. Locus.4. Motus animalis solùm propriè & per se loci differentijs distinguitur.

Quintus est Ab instantiâ; maxima, quòd *primus motus localis sit per potentiam moventis, secundùm partes, fine externo loco aut spacio, vt motus cœli: alius fine reali mutatione loci, vt motus conchæ, qui motus* dilatationis, *nõ* localis mutationis *dicitur.* Sed hi motus analogicè reduci possunt ad mutationem loci, quia in illo est pars parti locus, & in hoc dilatatio respectum loci mutat. Locus.5. Conchæ motus est dilatationis.

Postremus locus est A fine motus localis; maxima, quòd *finis motus localis sit, vt res qualibet corporea in suo loco naturali quiescat & conservetur*; ratio est, quia extra locum naturalem non est quies, sed pernicies interitusque rerum. Locus.6. Cur res naturales in loco conserventur.

Hic animadverte (studiose lector) tot modis de quiete posse disputari quot modis de motu. Est enim quies opposita motui, definitur enim *privatio eiusdem cũ aptitudine ad eũdẽ*. Vel (si placet) definitur, *forma seu dispositio in qua mobile quiescit.* Verùm vt ad præsens institutum accommodetur oratio, quies est vel violenta, vel animalis, vel naturalis, vt superiùs de motu locali diximus. Violenta *cùm aliquid à principio extrinseco contra naturalem appositionem suam in loco impropriò teneatur*, vt lapis detentus sursum: animalis, quæ est *à se, sive à principio intrinseco per apprehensionem obiecti, in quo ani-*

mal delectatur, & ad tempus in eo quiescens à motu suo proprio cessat: naturalis, quæ est *secundùm naturalem inclinationem, & non apprehensionem animalem*, & sic res quælibet corporeæ in proprijs suis locis tanquam in incunabulis conquiescant.

CAP. 13.

De tempore.

AFfine & cognatum motui apud omnes Philosophos habetur tempus; *est enim tempus mẽsura motus*: tractationem ergo de motu tractatio de tempore optimo iure sequitur. Sed dum verba nunc facio tempus amitto: currã ergo, & si opus sit cum illo volabo. Pretiosus hic thesaurus naturæ *tempus*, quo nihil pretiosius, definitur *numerus seu mensura cœlestis motus, ex vertigine cœli solisque deductus, secundum prius & posterius, cuius partes ad momentum communem terminum vtriusque copulantur*. Per *numerum* non formalem illum numerum quo numeramus, nec propriè numerum numerantem (id est animam) nec numerum numeratum intelligi oportet; sed numerosam & successivam dimensionem qua motus cujuslibet rei mobilis terminatur. Similiter sub nomine *motus cœlestis* omnem motum in omni genere rerum inferiorum Aristoteles intelligit, *motus verò cœlestis* vt causa pro effectu per excellentiam hoc loco nominatur. Est enim cœlestis motus primus, à quo motus omnium in inferiore hoc mundi circulo pẽdent. Per *vertiginem cœli solisque*, conversionem vtriusque in certis figuris, gradibus & minutis Zodiaci intelligendam puto; nam ex istis distincta tempora, mutationes & motus rerum cognoscuntur. *Prius & posterius* in hac definitione, præteritum & futurum temporis partes notant, in quibus perpetua successio & vicissitudo inest. *Momentum* indivisibile punctum seu instans definitur, quo distinctionis causâ partes temporis in omni actione, motu opereque naturæ per animam numerantem omnia coaptantur. Hinc constat tempus esse ens in fluxu & successione positum, cujus pars nulla constans & immota manet. Rectè Ovidius

Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen, neq; enim consistere flumen,

Tempus pretiosus naturæ thesaurus.

Temporis definitio.

Numerus in definitione temporis qualis.

Momentum quid.

Tempus ens in fluxu.

Nec

Nec levis hora potest; sed vt vndâ pellitur vnda,
Vrgetur q, eadem veniens, vrget q, priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq, sequuntur.

Differentiæ seu partes generales temporis sunt, *præteritum* quod jam fuit, *instans* quod est, *futurum* quod erit: speciales verò sunt *hora, dies, mensis* & *annus*, nec non quæ annis mensurantur *ætates* & *sæcula*. Quid multis? omnis duratio motus sub communi nomine temporis continetur; sed in hoc discrimen est, quòd duratio (si propriè sumatur) latiùs quàm tempus pateat. Duratio enim in *tempus, ævum* & *æternum* (vt certa fiat distinctio rerum) dividitur. Tempus *mensura rerum habentium initium & finem*, Ævum *mensura rerum habentium initium sed carentium fine*, Æternum *rerum habentium nec initium nec finem mensura dicitur*. Æternum autem duplex est secundùm philosophos, vel *per se* vt *Deus* qui simpliciter & vi suâ solus est æternus; vel *comparatè*, vt principium & vniversale, quo prius in re vel arte nõ existit. De alijs partibus temporis (quæ omnes sunt homogeneæ & ejusdem nominis cum toto) pauca aut nihil omninò dicam, quia si dicerem annus esset antequam annum (quę est pars solùm vna temporis) accuratè describerem. Hortor tamen iuvenes studiosos philosophiæ, vt cõversioni Zodiaci diligenter studeant, indeq; discant certa & distincta tempora & spacia rerum. Nam valdè turpe est homini philosopho, si quærenti quid sit *hora, dies, mensis* aut *annus*, respondeat nescio. Cæterum eò ignorantiæ jam deventum est in Calendario, vt horas diesq; salutis, id est ea tempora in quibus mysteria salutis nostræ maximâ ex parte agerentur penitus ignoremus. Imò & quod pejus est, quamvis Deus in creatione mundi solẽ & lunã finxit fixitq; in cœlo vt fiant signa temporum, volumus hanc distinctionem anni (quẽ motu suo faciunt) ignorare. Sed esto, digito demonstro viam. Annus *tẽpus est quo sol totũ Zodiacũ, & in eo 12. signa perlustrat*. Habet annus menses 12: est enim mẽsis *tempus illud quo sol vnum signũ proprio suo motu conficit*. Hebdomadas duas & quinquaginta, diemq; vnũ habet; dies verò trecentos sexaginta quinq; & sex horas ferè; tãto n. intervallo stadiũ suũ in Zodiaco sol totum decurrit. Si articulatiùs de hâc re agi desideres, refero te ad cõmentarios meos 4. Physi. vbi singulas fermè partes temporis definivi. Refero te etiã ad veteres Ephemerides, in quibus ad Christianum vsum Epactam, Aureum numerum, Indictionem aliasque notas & tabulas revolutionis cœlestis citò, facilè & fructuosè discas, nec non singulis partibus anni piè accõmodes. Breves quidem reperies illic regulas sed vtilissimas, si illas sic legas vt intelligas, si sic intelligas vt memoriâ semper re-

Partes generales & speciales temporis.

Durationis & temporis discrimen.

Æternum duplex.

Turpe est hominem Philosophũ quærenti respondere Nescio.

Annus quid.

Mensis quid.

tineas, ſi denique memoriâ ſemper retineas, & in ſingulorum dierum ortu & occaſu vitę tuæ fluentem ſtatum & ruinoſum conſideres. Occaſio calva eſt, ſi non conſideres, thæſaurum pretioſum perdes.

Loca inventionis à Tempore.

Exiſtentia tẽporis valdè incerta. Subiectum temporis mũdus.

Exiſtentia temporis res quidem valdè incerta eſt, primùm igitur locũ A temporis exiſtentiâ duco; maxima, *quòd tempus partim in ſubiecto, partim in termino, partim in menſurâ, partim denique in principio exiſtat.* *Subiectum* illius totus mundus eſt, & res quælibet obnoxia mutationi. *Terminus* inſtans ſeu momentum eſt, in quo illius partes vniuntur. *Menſura* motus eſt, cujus fluxu illius partes per accidens menſurantur. *Principium* anima eſt, principium (inquam) cognitionis, quo quid ſit apprehenditur. In ſubjecto inhæſivè vt aiunt, definitivè in termino, in menſura relativè, in animo apprehenſivè ineſt. Cæterùm quoniam de iſtis ſingulis vehementiùs apud interpretes litigetur, ab illis articulatim loca jam alia petam. Et primum à ſubjecto; maxima,

Locus 1. Proprium & primum ſubiectum tẽporis quid.

quòd temporis primum & proprium ſubiectum ſit primum mobile, nam primi mobilis paſſio ipſum tempus dicitur. Sed dices, cur modò totum mundum remque omnem mutationi obnoxiam ſubjectum temporis eſſe ſtatueras? Reſpondeò, ſecundùm aliquos, primum mobile eſſe proprium ſubjectum, commune verò eſſe totum mundum: vel (ſi placet) dico, ſub nomine *cæleſtis motus* omnem motum, & ſub nomine *primi mobilis* rem omnem mobilem, per excellentiam cauſæ rectè intelligi.

Locus 2.

Alter locus eſt Ab exiſtentiâ, quam tempus habet in ſuo termino; maxima, *quòd vnio præſentis & futuri in momento ſit formalis pars temporis à qua actu ſuum eſſe habet.* Eſt enim nihil temporis (vt docet Philoſophus) exiſtens, præter præſens, in quo illius partes conſtringuntur. Exiſtentia temporis in menſura ſua per accidens, nempe in motu à relatis pendet, quia menſura & menſuratum relata ſunt, quorum exiſtentia mutua eſt. Nã alterum ſine altero eſſe non poteſt, non enim exiſtit tempus ſine motu, nec motus ſine tempore. Sed hic labor eſt, & hoc opus, vt probetur exiſtẽtia temporis ab animâ dependere. Credendum eſt quia Ariſtoteles dixit, at non videtur eſſe verum quia tempus eſt ens reale quod extra animam ſuum *eſſe* habet. Verbo reſolvam, ab animâ exiſtentiam habere apprehenſivè vt aiunt, quia partes motus & temporis numerare eſt opus animæ.

Tempus exiſtentiam ab anima apprehenſivè ſortitur.

Locus 3.

Sequitur locus Ab vnitate temporis; maxima, *quòd vnum numero ſit tempus*

tempus omnium: ratio est, quia vnum est numero subjectum temporis, nempe primum mobile, sed ab vnitate subjecti accidens suam vnitatem sumit. Verùm hìc animadvertendum est, respectum temporis multiplicari ad multiplicationem motuum rerumq; caducarum, tempus autem in omnibus numero vnum esse.

Alius locus est A proprietatibus temporis; hujus loci maximę sunt quatuor, quarum prima est, *dari posse in tempore minimum respectu numeri, dari non posse respectu continui*; numerus enim vnitatem habet, continuum non habet. Altera est quòd, *omne tempus vi suâ dicatur longum aut breve, non velox aut tardum*; longa enim aut brevis oratio dicitur, quia longum aut breve est tempus in quo habetur, velocitas autem & tarditas per se motum, tempus verò per accidens respiciunt. Tertia est, *quòd omne tempus numero sit irrevocabile, specie verò reiterari possit*. Quarta, *quòd omnis motus mensuretur tempore, et è converso omne tempus mensuretur motu, sed ille formaliter & per se, hoc autem per accidens*.

Locus 4. Respectus temporis ad multiplicationem motuum multiplicatur.

Tempus omne numero irrevocabile nō specie.

Locus qui sequitur A proprietatibus momenti seu instantis ducitur; cujus maximæ sunt, *quòd instans sit notius tempore, id est quoad nos*; quòd *non sit tempus continuum nisi per instans*; quòd *propriè instans non sit pars temporis, sed communis terminus quo partes illius copulantur*; quòd *vnum sit omnium instans, eo scilicet respectu quo vnum est tempus omnium*; postremò, *quòd instanti non tempore omne* mutatū esse *mensuretur*. Est enim *mutatum esse* indivisibile quiddam in motu, vt instans in tempore. Axiomata permulta sunt quæ temporis essentiam & existentiam declarant; vt, *nihil esse primum in tempore, si tempus pro aeterno sumatur*. Iterum, *nihil finitum in infinito tempore, aut infinitum finito tempore posse moveri*, quippe *inter mensuram & mensuratum debet esse aequalis proportio*. Deinceps, *nihil omnino mutari posse nisi in tempore, nam mutatio non est sine motu, motus non est sine tempore*. Adhuc *tempus esse causam potiùs interitus quàm ortus*, quia (vt vulgo dici solet) tempus est edax rerum, omniaque consenescunt tempore. Sed nota, tempus esse causam interitus sine qua non. Porrò *nihil ad statum seu quietem tendere nisi tempore: nam vt motus per se, ita quies & status rerum per accidens mensurantur*. Postremò *nihil incorporeum tempore simpliciter & propriè mensurari: tempus enim est mensura motus, motus est actus mobilis, mobile res physica est & naturalis*; *at spiritus & separatæ substantiæ non sunt res physicæ: nec ergo motu proprie cientur, nec mensurantur tempore*. Sed animadvertendum est moveri quidem & mensurari posse, vt aiunt, definitivè ex præscripto primi motoris, qui incommutabiliter manens sine omni motu & tempore mutare potest omnia, ipse verò mutari non potest. Moventur ergo separatę substantiæ loco, mensurantur tempore,

Locus 5.

Vnum instans omnium quo, modo.

Mutatum esse quid.

Tempus causa interitus sine quâ non.

Spiritus & separatæ substantiæ quo modo cientur.

non

non quòd loco aut tempore physicè contineantur, sed quia analogicè earum existentia & duratio non aliter à nobis quàm motu & tempore cognoscantur.

CAP. 14.

De loco.

Locus. quid.

Locis definitio secundùm Aristotelem.

Superficies duplex.

Superficies qualis in definitione loci.

QVoniam corpora mobilia tempore dimensa sine loco moveri non possunt, opportunè tractationē motus & tēporis tractatio nūc loci sequitur. Compluribus huius nominis significatis omissis, locus philosophorum communi consensu id omne dicitur *quod aliud cõtinet commensurativè vt aiunt, quod etiam extrinsecus per contactum rem locatam definit, & quod circumscribendo in se recipit & apprehendit.* Hinc ab Aristotele definitur *terminus vel superficies corporis continentis immobilis primò.* Duo in hac definitione verba videntur subobscura, nimirum *superficies* & *immobile.* Ad pleniorem ergo intellectum, dicendum est quòd *superficies* sit vel plana, vt planicies huius chartæ quàm legis: vel obliqua, & hæc est vel convexa quæ exterior, vel cõcava quæ interior rei facies dicitur. Cùm locus definiatur *superficies*, intelligitur esse superficies concava non convexa; concava (inquam) sed cum dependentiâ & relatione. Nam superficies in hâc definitione non tam absolutam quantitatem quàm respectum corporis continentis significat, aliter millies in vnâ horâ corpus immotũ & fixũ (vt turris) mutaret locũ, siquidē millies huc illuc impulsa superficies concava cum aëre mutatur, respectu eiusdem vtiq; immobili & immutabili manente. Si probè advertas hanc expositionem istius nominis, non erit difficilis interpretatio alterius, nempe *immobilis primò* & per se. Locus enim non est *immobilis* vt est superficies, sed vt est respectus corporis continentis ad contentum, qui mutatâ superficie idem numero & naturâ manere potest. Alij interpretãtur locum *immobilem* dici respectu ordinis & situs ad polos mundi, qui semper immobiles existunt. Ex horum sententiâ dicendum est, vnitatem & immobilitatem loci nequaquam sumendam esse ab vnitate & immobilitate superficiei corporis continentis, secundùm realem æquivalentiam quam habet mobile locatum dum in eodē ordine & situ manet. Sic vnus idemque immobilis locus est pyrami-

dis

dis fixę, tametsi aër continens, & eiusdem superficies circumcingęs eam sæpissimè commutetur.

Loci diuisio

Dividitur locus in communem, proprium, naturalem & violentũ. Cõmunis est, sub cujus ambitu plura continentur corpora, vt *inferiores sphæra cœlestes* sub primo mobili; proprius, in quo vnũ solũ comprehenditur, vt *ignis in concavo lunæ, aër in concavo ignis*; naturalis est, *in quem mobile extra positum & non impeditum secundùm brevissimam lineam vi suâ fertur, & in quo quiescit atq; conservatur*; hic autem ordo in rebus naturalibus communiter ex gravitate & levitate attenditur. Est enim rerum naturalium ordo vt graviora suæ ipsorum naturæ relicta sub levioribus esse desiderent, quemadmodum in situ elementorum manifestè constat. Violentus locus est, *in quo aliquid contra appetitum & quietem suam cõercetur*: vt *ignis* in *fistulis terræ* suppressus, vnde nonnunquam terræ motus nascitur. Inter naturalem locum & proprium hoc quidam discrimen ponunt, quòd omnis nimirum proprius locus sit naturalis, sed omnis naturalis nõ sit proprius. Exempli causâ, naturalis locus terræ est aggregata superficies aquę & aëris, vtrumque enim corpus eandem continet: proprius autem locus terræ nõ est aggregata superficies vtriusque, sed simplex vnius aquæ, quæ vt levius corpus supernataret, fieretque proprius locus centri: verumenimverò propter salutem animantium, vniversalis natura particularem de suo loco cedere coegit, legemq; perpetuam dedit, vt aqua littoribus tãquã mœnibus circumcincta teneatur.

Rerum naturalium ordo.

Locus violentus quis

Discrimen inter propriũ & naturalem locum.

Distinguunt hìc quidã interpretes, quòd aliquid sit in loco quadrifariam; nimirum *circumscriptè, definitè, completè & comparate*. Circũscriptè vt *corpus*, definitè vt *Angelus*, completè *vt Deus*, comparatè vt *accidens*: *corpus* enim loco circumscribitur, *Angelus* in hoc vel illo loco nunc inesse definitur, *Deus* totus in omni loco simul esse dicitur, *accidens* eodem loco cum suo subiecto fruitur. Hinc illud, *Motis nobis moventur omnia quæ sunt in nobis*, id est partes & accidentia.

Forma differendi à Loco.

Primus locus est A definitione; maxima, *quòd locus sit superficies corporis continentis, immobilis primò*. Adverte *locum* in hac definitione nõ solùm quantitatem, sed etiam respectum in prædicamento Vbi significare; aliter immobilis dici non posset, quippe superficies continetis sæpissimè movetur; vt de *arbore* crescente in *aqua fluente*, & de *pyramide* in *aëre* fixâ manifestè constat. Cæterùm tametsi superficies quotidiè mutetur, situs tamen & ordo respectu primi locantis aut conservantis non mutatur.

Locus, 1.

Locus 2. Secundus locus ducitur A relatis; maxima, *quòd locus sit simul & aqualis cum locato, Simul* quia locus est locati locus, & è converso: *æqualis*, quia singulæ partes locantis singulis partibus locati adæquantur.

Locus 3. Tertius locus est A proprietate loci; maxima, *quòd loci sit proprium rem naturalem ad se attrahere & conservare*, vnde *principium conservandi* dicitur. Ratio est, quoniam in proprio & naturali loco (de quo in hâc maximâ solùm agitur) sunt insitæ qualitates & virtutes quæ maximè conveniunt rei quæ in eodem generatur.

Locus cur rẽ naturalẽ conservare dicatur.

Locus 4. Quartus locus est A differentijs loci; maxima, *quòd omnis locus sit aut sursum aut deorsum, aut ante aut pone, aut dextrorsum aut sinistrorsum.* Hæc propositio intelligenda propriè est de situ animalis respectu cœli, cujus pars quælibet *sursum* dicitur.

Locus 5. Quintus locus est Ab instantia; maxima, *quòd vltima sphæra non sit in loco*; ratio est quia alio vlteriore corpore non circũscribitur. Quòd verè circumscriptio ad hoc corpus locandum non requiratur, Philosophia has rationes reddit, quia est principium movendi in alijs, tum quia actu infinitum motorem sui habet, qui liberrimè agens non alligatur medijs, hinc quia illius forma est maximè activa, & illius figura aptissima ad motum per se, deniq; quia illius capacitas & concavitas efficit vt vna pars alteri parti locus fiat.

Rationes cur vltima sphæra non sit in loco.

Locus 6. Sextus locus est Ab appetitu rei naturalis; maxima, *quòd res qualibet naturalis instinctu feratur ad locum naturalem in quo quiescat.* Hanc maximam interpretatus sum ante in tractatu De motu.

Locus 7. Septimus locus est Ab impossibili; maxima, *quòd nec aliquid vnum numero sit in diversis locis simul, nec plura in eodem*: ratio est quia locus & locatum sint æqualia, & quia vnicuique corpori vnus proprius & naturalis motus destinetur.

CAP.

CAP. 15.

De Vacuo & Infinito.

MVlta in rerum natura sunt, multa apparent esse: sunt quidem illa de quibus diximus *natura, principia, causæ, motus, tempus* & *locus*; apparent verò & non sunt *vacuum* & *infinitum*. De *vacuo* proximè ordine naturæ agitur, quoniam opinione quorundam Philosophorum *vacuum locus definitur esse*. Somniârunt enim locum esse posse sine corpore, quem *vacuum* appellârunt. Inanis ergo non est Philosophi de istis apparentibus vmbris disputatio, quia classici & graves doctores in philosophiâ eas pro rebus in rerum naturâ existentibus habuerunt. Vt ergo eorum error refutetur, operępretium est de ijsdem pauca in hoc tractatu addere.

Entia verâ & apparentia quæ.

Vacuum ergo est *locus non repletus corpore, aptus tamen repleri*; vel vacuum est *spacium inane nihil continens actu*; vel denique est *superficies corporis nihil actu continentis, si modo id natum sit & aptum corpus continere*. Desudat & contendit Philosophus probare, nullo modo fieri posse vt talis vspiam existat locus. Primùm quoniam nullus est locus sine corpore, tum quoniam si esset vacuum nullus fieri posse motus; non est enim motus sine mobili, non est mobile sine medio, medium autem non est sine pleno, cujus resistentiâ velocitas & tarditas mobilium refrænantur.

Vacuum quid.

Huc spectant rationes & argumẽta omnia quę ab experientiâ ducuntur, nimirum ignem potiùs volare deorsum, lapides sursum, quàm admittatur vacuum. Perforata clepsydra non effundit *aquam, fulmen* disrumpit nubem, ignis suppressus cõcutit & discindit terram, cucurbitula affixa ab alto elicit cruorem. Quorsum (quæso) hæc omnia si admittatur vacuum? Omitto sexcenta alia exempla, & ad Infinitum venio, cujus tractatio ordine nunc rectè sequitur, quia motus, tempus, magnitudo non semel ab Aristotele ante dicuntur infinita.

Vacuum quoquo modo admittit natura.

Infiniti definitio.

Solliciti sunt hic multi interpretes de ordine & multiplici significatione *infiniti*, sed brevitatis causâ cunctis relictis ambagibus idipsũ sic definio. Infinitum est *ens cuius de quantitate sumentibus aliquid sem-*

per extra vlteriùs remanet accipiendum. Est ens opinione hominum non rei veritate, si actu physico rem infinitam intelligas: actu verò metaphysico agnoscit Philosophus infinitum, nempe DEVM. Distinguitur ab Aristotele infinitum in infinitum *actu* & infinitum *potentiâ*. *Actu infinitum* motu, tempore, magnitudine omnino negat: *potentiâ* verò aliquo modo concedit. *Actu* non esse infinitũ demonstrat multis argumentis, sed hoc vnum præcipuum est, nempe quòd omne corpus physicum aptum sit vel moveri ad locum suum naturalem, vt *grave* & *leve*, vel loco suo circulariter cieri, vt *cœli*; sed corpus *actu infinitum* neutro istorum modorum moveri potest: ergo corpus nullũ physicum est *actu infinitum*. Minor ostenditur, siquidem motu recto corpus tale moveri nequit; nam cùm omnia repleat, nullum extra se reliquit locum ad quem moveatur. Circulariter quoq; moveri non posse apertè convincitur, cùm omnis circularis motus sit à puncto ad punctum. Præterea; si esset corpus circulare actu infinitum, sequeretur nullum locum relictũ esse corporibus recto motu incitatis, quia circulare illud infinitum existens omnem per se repleret & occuparet locum.

Infinitum duplex.

Omnis circularis motus à puncto ad pũctum est.

Quòd sit *potentiâ infinitum* aliquid Arist. non negat, quoad potentiam & partes proportionis. Hinc illa distinctio est de partibus, quòd aliæ sint ejusdem *molis* seu quantitatis, aliæ ejusdem *proportionis*. Partes ejusdem *molis*, divisionis, seu quantitatis sic se habent, *vt prima sit eiusdem quantitatis cum secunda, secunda cum tertiâ, tertia cum quarta, & sic deinceps donec ad minimum actu perveneris*, & sic non est infinitum.

Distinctio partium.

Partes eiusdẽ quantitatis & molis quæ.

Partes ejusdẽ proportionis quæ.

Partes ejusdem *proportionis* sic sunt, *vt qualis est proportio prima partis sublatæ ad secundam, talis erit secunda ad tertiam, & tertia ad quartam*: vt si linea dividatur in duas medietates, & vna earum medietatum in alias duas, & sic ordine deinceps, *potentiâ* quidem infinitum apparet. *Potentiâ* (inquam) non *actu*, quoniam *actu* infinita nulla fieri potest divisio, nulla proportio, nullus proportionis ordo. Quod hoc loco de magnitudine dicitur idipsum de motu, tempore, loco, omniq; continuo dici potest. Omne enim continuũ dividi & secari potest in partes infinitas ejusdem proportionis *potentiâ*, non *actu*; sed hoc dignum observatione tuâ est, quòd Arist. de infinito loquutus per partes ejusdem *divisionis* intelligat partes realis quantitatis, in qua est minimum: & per partes *proportionis* intelligat partes mathematici ordinis, in quo est infinitum. Infinitum (inquam) *Mathematicum*, non *Physicum*, *intentionale non reale*: si dicas motum cœli actu esse infinitum, respondeo non esse quoad extensionem mobilis & loci in

quo

quo est, sed quoad reciprocationem ejusdem per spacium illud in quo movetur; & hoc idipsum est quod modo dixeram, aliquid infinitum esse potentiâ non actu. Si adhuc vrgeas potentiâ concedi infinitum, & proinde concludas actu concedendum esse, quoniam frustra est potentia quæ non reducitur ad actum: dico potentiam hanc esse remotam non proximam, idcirco concludo absurdum non esse si nunquam reducatur ad actum. Multa enim dicuntur posse fieri quæ actu non fiunt; vt possunt esse *duo soles* sed non sunt. Verùm nunc ad vsum istorum *entium apparentium* à locis inventionis venio.

Motus cœli quomodo actu infinitus.

Frustra est potentia quæ nunquam reducitur ad actum.

Loca à Vacuo & Infinito.

Primus locus est Ab opinione vulgi, vel ab æquivocâ significatione nominis; maxima, *quod (secundùm opinionem vulgi) sit vacuum id omne quod denso corpore non est repletum*; sic aër impropriè, & vas aquâ effusâ vacuum dicitur. Locus 1.

Secundus locus est A veritate rei; maxima, *quòd natura ab infinito & vacuo penitus abhorreat*; ratio est, quia illud commune motum, hoc omne medium, ordinem & proportionem movendi tollit. Locus 2.

Tertius est A contrariâ dispositione medij, mobilis & situs; cujus maxima est, *Si medium non resistat divisioni suæ, vt quò sit densius eò tardiùs propter resistentiam illius moveatur mobile: si etiam ipsum mobile in locum contrarium pulsum non repugnet (vt in motione gravis sursum) si denique distantia & contrarietas terminorum* à quo & ad quem *sit motus non impediat, sequetur vacuum esse*; sed medium habere resistentiam suam, remque contra naturam à loco naturali pulsam habere renitentiam, & denique terminos ordinis & situs habere repugnantiam ipsa experientia docet: non est ergo vacuum, nisi moveri corpora in ipso instanti dixeris. Inæqualitas enim & moderatio motus à resistentiâ medij, à renitentiâ subjecti, & à contrarietate loci (in quo fit motus) pendet. Locus 3.

Quartus locus est Ab adjunctis, & à consequentibus; maxima, *quòd licèt sint rara & densa corpora, non est tamen vacuum*; ratio est, quia si fiat extensio corporum vt *in rarùm*, aut compressio vnioque vt *in densis*, aut idem corpus extensum occupat locum, aut aliud ingreditur & succedit, quemadmodum in aqua frigore concretâ cernitur. Locus 4.

Locus 5. Quintus locus est Ab experientiâ, maxima, quòd *omnia exempla quæ ducuntur ad probandum vacuum, probè examinata inferant contrarium.* Vt sunt illa de fistulâ explosâ, de terræ motus causâ, de Clepsydrâ, de curcurbitulâ, de dolio cineribus pleno, non minus tamen aquæ recipiente quàm si esset vacuum, de tabulis & follibus compressis & vndique obstructis. Sed hæc omnia prætereo, concludens nihil esse in rerum naturâ vacuum naturaliter: non negans tamen quin fieri possit vi supernaturali & divinâ, quæ nullis medijs alligata potest in nihilum corpora commutare, vacuum efficere.

Solùm modo supernaturali vacuum effici potest.

Loca ab Infinito.

Locus. 1. Disputatio de *Infinito* anceps est, quia Aristoteles ait *Infinitum* partim esse, partim non esse. Verùm vt explicetur opinio Philosophi, primus locus ducetur A distinctione nominis; maxima est, quòd *omne infinitum sit aut actu, aut potentiâ. Actu infinitum* non est, infinitum verò potentiâ est, si mathematicam proportionem partium, seu partes proportionis non realis divisionis consideres.

Locus 2 Alter locus est Ab hypothesi; maxima, *si detur actu infinitum, sequetur actu nihil moveri posse, quia omnis motus est successivus, potentiâ non actu infinitus, sed actu infinitus esse deberet si aliquod actu mobile infinitum existat*; quippe inter *motum, tempus* & *mobile* debet esse proportio. Vnde colligitur, si actu aliquid sit mobile infinitum, actu quoq; motum quo movetur esse infinitum, & tempus etiam actu infinitum: at motus & tempus sunt entia successiva, non actu existentia, vt omnium philosophorum consensus docet.

Locus 3. Postremus locus est Ab vsu hujus scientiæ de *infinito*; maxima, quòd *infinitum potentiâ physicum, arguat esse infinitum actu metaphysicũ.* Ratio est, quoniam aliter cœlum perpetuò non moveretur, non regeretur mundus; aliter (inquam) in rebus numero infinitis, nulla esset distinctio, nullus ordo, nulla in perpetuum successio & vicissitudo. Hoc enim infinitum Metaphysicum actu idem incommutabile & immobile subsistens æternum numen est à quo omnia pendent, primum principium est à quo omnia fluunt, finis est ad quem omnia tendunt, *DEVS* est per quem omnia sunt, moventur & conservantur. At dices Arist. hoc infinitum vsumque infiniti penitus ignorâsse: toto cœlo erras; nam sic in 1. lib Physicorum de principijs, in secũdo de naturâ & causis (quid moror?) in tertio & reliquis de hoc motu, tẽpore, vacuò, & infinito agit, vt 8. illo libro singulari sapientiâ conscripto, vnum movens in omni motu sine motu, in omni tempore sine tẽpore, in omni loco sine loco, in omni ente finito sine finito ens infinitum actu non potentiâ subsistere & inesse probet. Est enim pri-

1. de Mundo
Metaph. l. 12.

mus

mus motor immobilis, ergo sine motu, est æternus: ergo sine tẽpore: est vbique, ergo sine loco: est actu infinitus, ergo sine finito si illius divinam, infinitam & gloriosam essentiam spectes; vult tamen in hisce omnibus sic inesse, vt hæc omnia foveret, disponeret, conservaret,

De moventibus causis brevis conclusio.

Causæ moventes duplices sunt vt philosophia docet, internæ & externę. Internæ sunt *materia, potentia, forma*, de quibus satis iam dictum est. Externæ sunt quoque duplices, inhærentes vel assistentes; inhęrentes vt *efficiens* & *finis*; assistentes vt *separata substantia* quas Intelligentias philosophi nominant. Harum verò alia est distinctio, nimirum quòd quædam ex ijsdem sint finitæ, vt *Angeli* & *Dæmones*; vna autem infinita, vt *Deus*. Illi simplices actus & formæ, sed non sine potentia; hic simplicissimus purissimusque actus & forma, id est perfectio omnium, sine vllâ admixtâ potentiâ dicitur. Quòd sint tales moventes causæ philosophia probat multis argumentis. Primũ est à divisione substantiæ in corpoream & incorpoream: si ergo sit corporea substantia (vt sensibus patet) incorporea necessariò erit. Ratio est, quoniam membra internæ divisionis & opposita inter se, & simul cum diviso esse oportet. Vt ergo corporea substantia est quæ ex materiâ & formâ constat: ita incorporea substantia est quæ omni materiâ caret. A motu argumentum non minùs nẽcessariò concludit, quia non est motus sine mobili, non est mobile sine movente; movens autem vel inhæret vt forma, vel assistit foris vt intelligentia.

Primum mobile extra se locum non habet.

A primo mobili demonstratio prima est. Primum mobile omnium philosophorum consensu locum extra se nõ habet à quo moveatur: necesse ergo est vt sit spiritus infinitæ potentiæ, qui illud sine loco moveat; quippe materia, & forma, & vtriusque potentia ex sese non possũt; propterea à quod hæc sint naturalia, & vltra fortẽ naturæ nihil possunt: est ergo Deus, Deus inquam est qui illud, qui (inquã) illud primum mobile sine loco proprio vlteriore movet. Est Deus, ergo spiritus quem philosophi primam intelligentiam appellárunt. Ratio ab ordine rerum deducta hoc ipsum manifestè evincit; nam fieri non potest vt tanta sit pulchritudo & ordo in rebus si non sit externa spirituũ administratio. Fieri, inquã, nõ potest vt vi naturę, quæ ratione & intellectu caret sic disponantur, disposita sic conserventur; quippe summa & singularis sapientia in illis cernitur.

Motus primi mobilis sine loco, Deum esse arguit.

A minore etiam res hæc facilè probatur; quia anima humana adhuc

huc ſuo carcere incluſa, ſæpe ſe ſpiritum ſeu ſeparatam ſubſtãtiam oſtendit eſſe, vt in diuinationibus & in ſomnijs; & quando in ſeipſã verſa proprio ſuo lumine ſeipſã ſine vlla ſpecie à ſenſibus latâ intelligit: quæ omnia arguũt illam immortalem eſſe, nec non poſſe extra corpus in perpetuum viuere; vnde hoc argumentum colligo, animam, dum ſit in corpore, ſubſtantiam incorpoream exiſtere: eſt ergo ſpiritus, cùm verò ſit extra corpus, eſſe liberiorẽ ſpiritũ. Sed infinitæ ferè ſunt animæ ſingulorum hominum: ergo ſunt ferè infiniti ſpiritus.

Lib. 2. de Anima Meta. l. 12

Ratio Ab abſurdo ſequitur, nimirum rem eſſe penitus à ratione alienam, vt primus aliquis dicatur motor idemque infinitus, ſi alij etiam non eſſẽt motores ſecundi ijdemque finiti, cùm inter primũ & ſecundum, finitum & infinitum ſit neceſſaria relatio. Imò, cùm nemo philoſophorum dubitet Deum eſſe ſpirituum primum, ſummumque bonum: abſurdum eſt ſi alij non ſint ſpiritus, qui tantæ maieſtati inſerviant. Quippe vt fons riuulis ſuam aquam, ſol radijs ſuam lucẽ: ita primus motor Deus, ſuam mouendi virtutem alijs inferioribus moventibus attribuit.

Abſurdum ſpiritus & intelligentias negare.

Mirabilia ſunt multa iſtius mundi quæ hanc rem euidenter probant; vt motu concuti vniverſã terram vno inſtanti temporis, quod noſtrâ ætate contigit. Quid? an natura hoc ipſum fecit? Erras ſi dicas, ſiquidem non eſt potis, non eſt infeſta ſibi natura; ſpiritus ergo fecit, ſpiritus Dei fecit, agnoſce ac time; ſpiritus Dei fecit. Si hiſtorias gentium legas, plena ſunt volumina magnis dæmonibus, plena oraculis; Sybillæ folia, auguria, vaticinia ſacerdotum, & coniectorũ reſponſa, imò hiſtorię omniũ temporum te refellunt, ſi neges. Si mali ſint ſpiritus, cur bonos eſſe negas? Indignus es bono genio, ſi (deficiente ingenio) malum admittas & non ſalutes bonum. Agam cũ mordaci conſcientiâ tuâ, quæ ſcelerum aliquando aculeis & furijs vulnerata tremet horretque. Quorſum quæſo, ſi non ſit Deus, ſi nõ ſit ſpiritus? Omitto hîc ſæpe apparentia ſpectra, quæ probè cõcludunt hoc argumentum; videntur habere corpora ſed non habent, videntur nobiſcum degere ſednon degunt: ſunt ergo ſpritus. Maleficos, magicos & faſcinatores eſſe ſi ibis inficias, haud mentis cõpotem ſobrij te habebũt homines; cur ergo negas dæmones eſſe quorum inſidijs non ſuis ipſorum ingenijs procul dubiò vtuntur.

Sed quorſum hæc omnia? certè vt intelligas ſpiritus eſſe, eoſdẽq; bonos & malos, prout diverſis finibus à primo motore deſtinantur. Audijhos dæmones ſeu ſpiritus intelligo, quos philoſophi motores nominant, eoſdẽq; ordine ſubiectos primo motori volũt. Nã (inquiunt)

unt) vt est subordinatio corporũ vsq; ad primũ mobile sine loco: ita est subordinatio movẽtium causarũ vsq; ad primum motorẽ immobilem & sine motu: quem Deum (non obstantibus his à philosophis ductis argumentis) si Atheus quispiam negaverit esse: mittam illum ad asinum prophetæ, qui videns Angelum in via districto gladio illũ docebit meliùs. Verùm si adhuc pergat & dicat cum stulto in corde non est Deus, illum relinquam Deo, qui iudex & vindex est primam negantium veritatem. Numer. 22

Vides (studiose lector) ad quem scopum hęc omnia de *principijs*, de *causis*, de *loco*, de *motu*, de *tempore*, *vacuo* & *infinito* tendũt, vis vt verbo altiùs hæc repetam? Huc quidem tendunt, vt multa mobilia, sed vnũ primum mobile, multa moventia sed vnum primum motorem probent. Concludã, motores finiti spiritus sunt, motor primus *Deus*; qui illos negant ratione carent: qui hunc negant sine Deo vivunt, & penitus insaniunt: Sed heu hodie quot negant? Christianus sum & Christianos alloquor, quot inquam hodie negant? Quid? estne inter Christianos qui neget? Heu quot hodie non verbo sed facto, non linguâ sed vitâ neãgt? Christianos alloquor, Vę nobis, quot hodie ververbo, facto, linguâ & vitâ negãt. Semel Væ dixi? ingeminabo verbũ Væ & tertio Væ nobis, si primus motor authorq; salutis nostræ nos illum negantes in vltimâ horâ neget. *Sed eus entium es, ô bene dicte Deus, et negare vos, quod est nõ ens, in tuo Christo nescis; illum, illum tibi in cruce offerimus, cui nihil pro nostrâ salute oranti negas.*

Laus Christo Deo.

INDEX RERVM IN HOC OPVSculo contentarum.

A

Actio triplex, 25
Actus duplex, 11
Actus naturalis duplex, 27
Actus proximus & remotus ibid.
Actus divinus finitus & infinitus ibid.
Actus externus duplex. ibid.
Æternum quid. 61
Æternum bifariam ſumitur ibid.
Ævum quid ibid.
Alteratio duplex, 52
Alteratorum vnio quid, 58
Alterationis finis ibid.
Alteratio propria 58
Anima prima cauſa augmentationis & diminutionis, 57
Animalis motus qualis, 53
Animalis motus ſolum propriè & per ſe loci differentiis diſtinguitur, 59
Anni definitio. 61
Appetitus materiæ qualis, 19
Argumentatio examen optimum in veritate diſquirendâ 2
Ariſtoteles in Philoſophiâ primas tenuit, 5
Ars & fortuna circa idem verſantur 41
Aſinus Phrophetę docebit Atheum Deum eſſe, 73
Aſtrologorum delitia. 45
Aſtra cur neceſſitatem rebus inferioribus imponant & quomodo ibid.
Augmentatio & diminutio bifariam ſumuntur, 52
Augmẽtationis & nutritionis affinitas, 57

C

Calor inſtrumentum nutritionis & augmentationis, 56
Caſus quid, 39
Caſus in materiâ ſeu voluntate verſatur, 40
Caſus & fortunæ mater ignorantia 39
Caſus & fortuna mundi idôla, 34
Cauſa quid, 29
Cauſæ, principii, & elementi differentia ibid.
Cauſa materialis ex quâ, formalis per quam, efficiens à qua, finis propter quam, 30
Cauſæ poſſunt eſſe ſibi invicem cauſæ, ibid.
Cauſâ ſublatâ tollitur effectus ibid.
Cauſa omnis effectus cauſa & è converſo, ibid.
Cauſę omnes ad materiam, formam, efficientem & finem reduci poſſunt. 32
Cauſa ſine qua non, 32
Vſus cauſæ ſine qua non, 33
Qualis cauſa talis effectus ibid.
Cauſarum omnium reciproca eſt commutatio, 38
Cauſa duntaxat vna cuius nulla eſt cauſa ibid.
Cauſa ſine quâ non, duplex, 34
Cauſa continens & coniuncta cur ſic dicta, 35
Cauſa particularis nihil ſine influxu veniverſalis agit, 33
Cauſæ moventes duplices, 71
Cauſa per accidens duobus modis dicitur, 39
Concoctio quid, 57
Concoctio triplex ibid.
Conchæ motus eſt dilatationis, 59
Condenſatio quando ſit 49 & 52
Corruptio quid, 51
Corruptio duplex ibid.
Creatio quid, 19
Creatio implicitè licèt non expreſſe ab Ariſt. tenetur ibid.

D

Deus author philoſophiæ primus, 5
Deus in operibus naturę cernitur, 8
Dei præſcientia qualis, 46
Deus ſolùm abſolutè æternus. 19
Deus inter cauſas rector chori, 31
Demonſtratio rerum duplex, 9
Demonſtrationis materia veritas ibid.
Diminutio quid, 52

E

Efficientis cauſæ vſus apliſſimus. 31
Efficientis diviſio ibid.
Efficiens cauſa quomodo liberè, quo modo neceſſariò agit, 33.
Entia quæ apparent & nõ ſũt. 11 & 67
Epicureorum & ſtoicorum ſententia. 42
Error particularis naturę 28
Æternum bifariam ſumitur. 19
Eventa ominoſa qui cõtingant. 13
Eventa fortuita non dicuntur niſi rarò eveniant. 42
Exiſtentia et eſſentia primum & vltimum opus naturæ dicuntur. 28

F

Fatum & providentia quomodo differunt, 43. variæ Definitiones, ibid
Fides melior ſcientia quàm philoſophia 39.
Finis definitio eiuſdẽq; diviſio 35 prima & vltima cauſarum finis ibid. 35. mirabilis & occulta vis movendi in eo ib.
Finis quò intentio potiùs quã cauſa, 36
Ad finẽ omnia referunt philoſophi, 37
Finis maior neceſſitas quam aliarum cauſarum, ibid.
Formæ definitio, 21 eiuſdem officium, 22, eſt in materiâ tanquam fructus in plantâ, 21. nomen & eſſe rebus attribuit, 20 Inhærens, aſſiſtẽs que, 21 cur divina dicatur, 22. è potentiâ educitur & qualiter, 20. res perceptu difficillima eſt, quomodo è materia emanet, ibid.
Artificialis per ſe nec movet nec movetur, 12 humana infuſa eſt non ingenita, 10
Formæ formabiles & formatę, 21
Formę radix in materiâ eſt, 22
Fortuna quid & quotuplex, 42. nomina tantum non res fortuna & caſus 41
à naturę effectis exulãt, 15. eorundem definitio ſecundũ veteres 41 reſpectu primæ cauſæ non ſunt ibid.

G

Generatio quid, 51
Generatio duplex, 51; à privatione ſemper incipit, 23
Generatio & corruptio propriè in ſubſtantiis reperiuntur, 51
Generatio vnius corruptio alterius quare, 55
Generatio ſimplex & miſta ibid.
Greſsus quid, 54

H

Homo animantium princeps & author ſuarum actionum, 34

I

Infiniti definitio, 67
Intentio quid ſignificat, 36
Intentio & remiſſio analogicæ ſpecies alterationis ſunt, 52 & 58
Interpretes *Nominales* & *Reales* cur dicti 5
Inſtinctus divinus naturalis ratio dicitur, 13
Iuvenilis ætas propenſa ad errores imbibendos, 2

L

Locus ſecundùm Ariſtotelem, 64. Naturalis, violentus, immobilis cur; cur in eodem res naturales conſervenventur. 59 & 66
Locorum vſu nihil vtilius, 14
Loci naturalis definitio, 65. diſcrimen inter naturalem & proprium ibid. Aliud quid eſt in loco quadrifariam, 65. Rationes cur vltima ſphæra non ſit in loco, 66
Locus naturalis & proprius terræ. 65

M

Magicorũ vanitas & blaſphemia, 12,
Materia, forma, actus & potentia cur prędicata phy. nominãtur, 11, & 25
Materia ferè nihil, 10. tota in potentia

sentia, est primum & cõmune subiectum omnium, 18, signata quando dicitur 19, eterna, ingenita, incorrupta cur dicitur ib. cognitio eiusdem analogica rãtũ 20, eadẽ numero cum privatione quomodo, 24, ens completũ & incõpletum quomodo & quãdo, 25

Monstrum error particularis naturę nõ vniversalis, 13

Momentum quid, 60

Mensis definitio, 60

Mixtio duplex, 58

Mutatum esse quid, 50

In mutatione naturali cõsideranda quatuor, 31

Mentis actiones & voluntas cur liberæ dicantur, 46

Mobilis definitio, 48

Divisio motus, ibid.

Motus naturalis species, 53

Motus nomẽ multiplex & æquivocũ, 47

Motus Physicus bifariam sumitur, ibid.

Motus variæ definitiones, 48

Motus & quies opponuntur privative, 49

Ad motum requisita, 48

Impulsio & appulsio analogicè species motus, 53

Omnis motus in tempore cur esse dicitur, 48

Motus rectus qualis, motus rectus duplex, 53

Motus deorsum duplex, ibid.

Motus naturalis quid, ibid.

Motus cœli quomodo actu infinitus, 68

Motus omnis circularis est à puncto ad punctum, ibid.

Motus animalis in omni animali maximè vero in homine voluntarius, 54

N

Natatio quid, 54

Natura quid, 10

Naturę significatio multiplex, ibid. medio inõni opere vtitur, 10. internũ principium motus, à materia, quietis in forma, 12, quicquid agit agit propter finẽ, 23, Particularis fallitur in generando monstro, vniversalis non fallitur, 42

Natura naturans Deus, 9

Natura naturata quę dicitur, qui activa, qui passiva, in omnibus æternitati studet, 11, Primæ causæ nutum sequitur in omni actione, 13, ab infinito, vacuo & non ente abhorret, 14, est Principium distinctum à materia & formâ ratione & modo tantum, 16, Communius principium formâ vel materiâ, 10, Causa movens materiæ & formæ ibid. Naturans præsidet, naturata inhæret, ibid.

Naturæ ordinem sequitur Arist. in Physicis, 7

Necessitas quid, 44, quando absoluta quando conditionata, ibid.

Nihil ex nihilo fieri qui intelligendũ, 19

Nutritionis & augmentationis potentię quatuor, 57

Nutritio & augmentatio quomodo conveniant, 56

O

Orbicus motus qui, 54

Ordo rerum naturalium, 65

P

Partes eiusdem quantitatis & molis quæ, 68

Partes eiusdem proportionis quæ, ibid.

Philosophiæ nomen duplex, 6

Philosophiæ communis & propriæ definitio, ibid. Commune subiectum & proprium eius ibid.

Philosophiæ obiectum duplex, 8

Philosophię proprius vsus qui, remotus qui, 7

Philosophi actio qualis, ibid. finis à philosopho propositus duplex, ibid.

Potentiæ naturalis definitio, 25

Potentia prima cuiusq; rei eadem cum re ipsâ, 22

Potentia triplex, 25

Potentia naturalis duplex, ibid.

Potentia frustra quæ nõ actuatur, 27, & 69

potentia duplex. 11
principium physicum quid. 15
rincipij nomen latius quàm nomen causæ ibid.
Principii nomen multiplex. 15
P. ne ;piorũ numerus vnde constat. ibid
Pr.n :pia in se confusam essentiam & existentiam habent, in effectis definitam. 16
Principium vnum qui vere dicatur esse secundùm Aristotelẽ. 15
Principia cur contraria, 16
Principia duo rei genitæ, generationis tria ibid.
Principia cur non definiantur ibid.
Principiorum cõtrarietas privativa ibid
Principiorum leges tres. 17
Perpetua & vniversalia cur dicãtur. 18
Privationis necessitas & vsus in generatione, 23
Privationis definitio. 24
Privationis nomen multiplex. 23
A Privatione ad habitum non fit regressus. 24
Privatio eadem numero cum materia per accidens. 23
Privatio non est pura negatio contradictoria, sed mixta. 24
Providentia divina flectit non cogit. 44
Pulsio quid. 53
Putredinis & putrefactionis discrimẽ 56

Q

Qualitatum activarum & passivarũ divisio. 23
Qualitates activę & passivę in tertio tãtum genere reperiuntur ibid.
Quietis definitio. 49
Quies triplex, ibid.

R

Rarefactio quid. 52
Regit mentem humanam & volũtem Deus qualiter. 46
Remissio quid. 52

S

Sectæ cur, oriantur in divina & humana philosophiâ. 9
Sophistarum nomen odiosum. 3
Sophistice in veritatem disputare & philosophicè aliud & aliud. 3
Spectra apparentia probãt esse Deũ. 72
Stellæ movent, mutant, & regunt quomodo. 46
Superficies in definitione loci qualis. 64
Superficies duplex ibid.
Spiritus negare absurdũ 73

T

Temporis definitio. 60
Tempus ens in fluxu ibid.
Temporis partes generales & speciales ibid.
Temporis & durationis discrimen ibid.
Temporis existentia valde incerta. 62
Tẽporis subiectum mundus, & res quælibet mutationi obnoxia ibid,
Temporis proprium & primum subiectum quid ibid.
Tempus existentiam ab anima apprehensive sortitur. 62
Temporis respectus ad multiplicationẽ motuũ multiplicatur. 63
Tempus omne numero irrevocabile nõ specie ibid.
Tẽpus causa interitus sine qua nõ ibid.
Tractio quid. 53

V

Vacuum quid, 67
Vacuum nullo modo admittit natura ibid. (fici potest. 70
Vacuum solùm modo supernaturali ef-
Vectio quid. 53
Vna tãtum ex virtutibus mentis cum ratione & concilio coniuncta. 17
Violenti motus species. 53
Violentus motus cur nõ sit æternus. 59
Veritas triplex. 9
Veritas nuda per se pulchra. 2

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 5. lin 12. alis. P. 7. 8. naturalium. P. 10. 26. nam omnia P. 11. 7. attexam Ibid. 10. quidem P. 17. 1. (est enim vt ait phi's forma finis) P. 42. 31. ea P. 49. lin 17 situ. Ibid lin. 33 secundùm partes. P 50. lin. 32 movetur P. 52. 6 diveniam P. 53. 32. malleolo P. 57. 31 non augeantur P. 59. 17. lominis P. 64. mart Tem. ibid. lect.